A. XL. 18/v
54036/B

2 3375

Dominicus Antonius Fioissani

OBSERVATIONES
ASTRONOMICO-MEDICÆ,
ET DIGRESSJONES

AVCTORE
ANDREA VALFRE'
DOCTOR. MED.

OBSERVATIONES
ASTRONOMICO-MEDICÆ,
ET JNTERIECTA PARADOXA,

SIVE'

DIGRESSJONES
Quibus Morborum Popularium eſſentia, & Cauſa communis

Nec non abſurda ab ijſdem ignoratis prouenientia pateſcunt

AVCTORE
ANDREA VALFRE'
DOCTORE MEDICO

Sub Auſpicijs Præſtantiſſimi Doctor.
JO·BAPTISTÆ UVLPINJ
ASTENSIS URBIS,
Eiuſquæ ditionis PròArchiatri, Roſanenſis Academiæ Socij, &
SERENISSIMÆ, INVICTISSIMÆQVE
CELSITVDINIS A' CARIGNANO
MEDICO CVBICVLARIO, &c.

ASTÆ MDCCXIIIJ.

EX TYPOGRAPHJA JOANNIS BAPTISTÆ DE ZANGRANDJS
SVPERIORVM PERMISSV.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

Pręſtantiſſime Domine

AStronomico-Medicas Obſeruationes Patris mei, quas pinguiſſimæ hereditatis vice ab eòdem vità functo Superioribus annis ſuſcepi, tuo nomini ſacrandas duxi Vir clariſſime, Philoſophiæ, Jatri-

ceſque ornamentum, & decus. Deficiente enim Authore alter querendus fuit, qui nominis celebritate micaret, virtutis robore valeret, tui nimirum ingenij, tuæ Sapientiæ id eſt: ex te luculentiſſimi alij fœtus, *Æmophobię ſcilicet Triumphus, & Spaſmologia Medica*, vbi nedum febrium, ſed & phenomenoń quorumcumque ſegetem citrà *phlebotomi* interuentum reſcindi poſſe ad inuidiam vſque remunſtras, ortum duxere. Per te opus iſtud Parente orbatum ſeruari geſtit, & sì quis fortè hoc aggredi

di, oppugnareque contendet, tuo facilè cedens obſequio parata iàm tela deponet. Norunt quantum Medica in paleſtra, quantum inquam omniū bono præcellas. Te Aſtenſis Ciuitas cui fermè ſe ipſam debet; Te ſubalpina Regio ferè vniuerſa, cui incolumem præclariſſimam ſui partem agnoſcit; Te Generalis *Siculę Maieſtatis* noſtris hiſce in Regionibus Archiater, Urbis Aſten. eiuſque ditionis Regimine tibi comiſso; Te fulgidiſſimum Alobrogi Cœli Sydus SERENISSJMA CARIGNANJ

§ 4 CEL-

CELSITVDO tuis nouiſsimè auſpicijs concredita; Te demum illuſtriora Italiæ lijcea, Roſanenſis præſertim Academia clariores inter ſocios, haud ſine elogio evulgatum, miratur. Fac igitur tibi Operis huiuſcæ ius, ſeruatumque Authoris nomen debeatur. Neque vero prò Patre tantum hæc vota ſunt; Studijs te etiam meis Patronum aduoco, cui vt plurimum debeam mea omnia, imò, & me ipſum dico.

Humilimus, & Obſequentiſs. Serus
HYACINTVS UALFRE'

THYPOGRAPHVS LECTORI.

CVM Præter Obſeruationes has in manus etiàm meas eiuſdem Authoris quædam veluti Epiſtola deuenerit, quæ totius Operis Synopſis videri poſſet: rem tibi per gratam me facturum duxi, ſi eandem oculis hìc tuis ſubijcerem. Audi illum igitùr de Opere ſuo ità loquentem.

Cum multis nominibus Magna ſit Medicinæ præſtantia, tùm maximè quia ea ſcientia non eſt vna vel altera, ſed vt inquit cum Eraſmo Jſodorus, & multi alij, omnium diſciplinarum congeries conſumata, nam vbi definit corporis affectiones, Logica; vbi ſubtiliùs, ac diligentiùs ad primas cauſas aſcendens ſpeculatur aliquid, Phyſica; vbi abſtruſiora veluti dierum Criticorum cauſam præcipuam, certioremque morbi prognoſim rimatur (reliquis ſcientijs ſilentio præteritis) Aſtrologia vtitur, cuius quidèm cognitio tàm neceſſaria eſt Medico, vt ſine illà morborum popularium, qui quotannis vſpiam, ac non rarò peſtilentes, aút valdè maligni citrá ætatis, anni temporis, & corporum conditionis diſcrimen ingrvunt, ille fruſtrá inueſtiget.

Quarè

Quaré cum neminem vnquàm cognouerim, qui de morbis huiuſmodi ſcribens, licet aſtra nominet, huiuſcæ ſcientiæ notitiam præſeferat; ſiquidem modó aeris vitio, modò victui prauo, alijſque cauſis ſublunaribus perperam attribuit: Ego etsí hàc ſcientia non benè inſtructus Morbos Epidemios ab ſolá ſyderum influentiá malignà immediatè prouenire varijs obſeruationibus, phyſiciſque rationibus demonſtrabo.

Neque ad hoc ſcribendi genus animum adijciam, vt in veræ Jatro-Aſtronomicæ cognitione glorier; quoniam illi, qui Jatricem aliquo incremento locupletarunt, imò qui etiamnum cum aliquà nominis Celebritate Medicinam faciunt; me vt reliquarum ſcientiarum peritiá inferiorem ſubmitto; ſed vt veritatem, ad cuius indaginem nos tacitè natura inuitat, idque Profeſſionis meæ ratio poſtulat, inquiram.

Quoniam veró ægritudinum popularium, quę ad vniuerſi conſeruationem neceſſariæ ſunt, & ineuitabiles, non ſolùm originem, ſed etiám durationis cauſam proprié ab Aſtrorum influxu, non veró á contagio pendere, oſtendere inſtitui: peſtem non ſemper eſſe contagioſam, contagium peſtilens non differre à maligno, peſtilentiam minimè per aera deueli, neque propagari per fomites, probare haud grauabor.

Quibus

Quibus ità poſitis, ſiquidem nulla erit ampliùs cauſa cur illa vſitata tàm abſurda, & incommoda omnibus peſtis præcauendæ ratio publica maneat: eiuſdem deſuetudinem merito expectent ægri, qui peſtilenti tempore ſuorum auxilio deſtituti extrá Vrbem, extrá Pagum non ſemper in Noſocomium, ſed in Tuguria ſæpè aeris iniurijs expoſiti; vbi interdúm ſepeliuntur, ſemianimes transferuntur. Deſiderabunt ſani, quorum alij præ metu contagij vſque ſe domi continent, alij in loca ſana magno ſuo incommodo procúl abeunt. Requiret Reipublicæ bonum, quod commercio prohibito, opificio intermiſso, ſilentibus ludis litterarijs, ceſſantibus Ciuitatis officijs, multùm patitur detrimenti. Uolet denique pietas, volet Religio quæ in templis concione vetitá, & ad lue infectos acceſsum, horrentibus illis, qui ex officio, vel caritate tenentur eoſdem inuiſere, Sacramenta miniſtrare non parúm remittit.

Aeris ergo formidine, vaniſque alijs præcautionibus peſte ipſa immanè quantum peioribus, quæ *Libitinæ* Sacra pluſquam morbus ſaginant valere iuſſis, precibus, pijſque obſecrationibus *Supremo Numine* influentiæ Authore placato, *Epidemicæ luis* medella ſequetur.

DE

DE Mandato Adm. R. P. Lectoris Ioannis Caroli Bordini Vicarij Generalis S. Officij Aſtæ, eiuſq; Diœceſis perlegi opuſculum, cuius titulus eſt: *Obſeruationes Aſtronomico-Medicæ;* AVCTORE ANDREA VALFRE' MEDICO, & in eo nil inueni, quod aduerſetur Fidei Catholicæ, nec ſit contra bonos mores, ideoque poſſe typis mandari cenſeo: Aſtæ 1. Nouembris 1713.

F. Dionyſius de Belmont Seruita Conſiliarius, & Theologus Regis Siciliæ, Cypri, &c., & Conſultor S. Jnquiſitionis Aſtæ.

DE Mandato R. P. Lectoris Ioannis Caroli Bordini Vicarij S. Officij Aſten. legi Librum cui titulus *Obſeruationes Aſtronomico-Medicæ, & interiecta Paradoxa, ſeu Digreſſiones, &c.* AVCTORE ANDREA VALFRE' MEDICO; nihilque in eo, quod Ortodoxæ Fidei, bonis moribus, & Principibus obeſſe queat depreheņſo, typis committi poſſe cenſerem. Aſt. 3. Nouembris 1713.

Balthaſsar Argenta Artium, & Medic. Doct. Aſten.

Attentis præfatis atteſtationibus
JMPRIMATVR
F. Joannes Carolus Bordinus Ord. Præd. Vic. Generalis S. Officij Aſtæ.

GRA-

GRATVLATVR AVTHORI LIBANS

ANAGRAMA PVRVM

ANDREAS UALFRE

FERS LAVREANDA

SAT Celſos ignara modos tibi terra dediſti
Sat detractum axi ius, vulgareſque malorum
Imbres cauſarum natos habuiſſe tuarum
Fædere cum heu nimium longo iuuarat aſtris
Tacta horum fore tecta dies Libitina perennes
Vota, quibus fatum eſt implenda nouiſſima cogens.
Exuuias hic pone tuas, ſcabioſaque ſecli
Dogmata præteriti condas quicunque medentum
Simplice donatus iatrica [velut vndique dictus
Æquo monoculus titulo [ſublimia Cœli
Ignorans ſcriptis Medicum nutriueris orbem.
Non hic progenies miſtorum quina patronis
Nota ſuis, non alijs iam cocta caminis.
Non hic non noua ſunt: non hic qua Sulphuris Ætna
Luxuriat Sanguis, non quę commercia venis
Occludat terra, aut quales impura meatus
Lympha riget, quali ſpina microcoſmetor actus
Inter præcipites baccans in regna reclamet.
Queis male conditum peregrinis forte cruorem

Accuſet

Accuſet ſalibus tabum; Haud quæ gentibus inſtet
Morborum priuata cohors: vulgaria cuique
Eſt hic vt pateant diſpendia, & artis ab oris
Antiqua æthereis facibus caligo teratur
Quod tabula inſcriptum eſt ſtellata, quæque malignus
Aſtrorum aſpectus populis popularia crebro
Spicula demittat, quæ demittenda loquatur
Secla docent tandem hæc geminam matura per artem.
Hìc tandem reſidet ſublimis vindice tanto
Facta vero damni ratio popularis adultos
Queſta quod in mutis tenebris latitauerit annos,
Perque tot arte graues phebea animique labores
Hactenus haud fuerit patribus conceſſa planetis :
Aerias quod nacta vias (quaſi debita Cœlo)
Dedignata ſolo non naturalia quemque
Inter utrumque hærens longas tolerauerit horas
Hæc ſunt quæ nondum primæua dedere lycæa
Halitibus poſtquam mortalia ſeruat amicis
Sponſa Ioui, & prægnans neptunia poſſidet arua
Fethys, iuuentoque ſuo lætatur Apollo
Hæc tua ſunt Valfré; duplex cui nupta Minerua
Complacet, atque tuis imbuta ſcientia ſuccis
Alta tuis debet victuris tempora chartis
Te populis populare decus populare fatetur
Os clamans Medicæ qui fidus proles alumnus
Hanc filo ducis ſciolam, cælumque tueri
More iubes tenui, & quam curas arte mederi

Deſ-

Deſpicis àrte alia terram docto integer æuo.
Quántus florueris te cingens Delphica laurus
Famaque quantus eris nunquam tacitura notabunt,
Poſtera qui æternos veraci ad lumina in annos
Fers calamo Laureanda. Tvum tanta omnia nomen,
Teſtatur queis læta fides Vrania plenas
Gratari doceat, Cęlum que precetur amicum
Lauricomumque tvum ſubſignet ſidera librum
Cuncta meis votis ſemper fautura fauenti.

Joſeph Antonius Sachetti
Med. Doct.

Ne quis miretur vulgares noſcere morbos
Valfredum, & cauſas ſic potuiſſe ſuas:
Hoc datur ingenio cum longa ætate coæuo,
Quæ duo Valfredus maxima ſolus habet.

Hieronymus Bernardinus
Melioretus Med. D.

OBSER-

OBSERVATIONES

Aſtronomico-Medicæ, & Digreſſiones.

OBSERVATIO J.

PEſtilentiam Olim in Athenas debaccatam, pro attrocium ſymptomatum varietate, & ſtragis magnitudine celebrem Thucidides, qui è tanto malo euaſit, viditque alios eodem conflictatos, graphicé deſcribit.

Non a fontibus ab hoſte veneno infectis, vt volebant quidam, cum ibi fontes non extare conſtet. Non ab vlla aeris intemperie; Siquidem tanta fuit anni ſalubritas, vt qui prius ægrotauerant, ſicut inquit idem, eo tempore ex morbo recrearentur, tanta calamitas deriuatur. Neque ex Æthiopia delata

fuit, vt credidit Author, cum peſtis per aera, & fomites, vt monſtrabitur aliás, haud deuehatur: Sed ab eclipſi Solis maxima duxit originem. Nam *L. Iacob. Iob. Speigelius ſpec. var. Iurid. Polit. Hiſtor. obſ. & notab. fol.* 337. refert in ipſo articulo quo Pericles triremem ſuam ingreſſus claſſem inſtructam e littore ſoluturus erat, ex Solis defectu integro, qualis raró fit, anno antequam lues inceſſeret, adeò obductas eſſe tenebras, vt ipſo meridie Stellæ conſpicerentur. Unde tamquam prodigio Gubernator nauigare recuſauit. Ab hac igitur eclipſi Athenienſes, Æthiopes, & Perſas eàdem die ac tempore vnà tactos eſſe certum eſt: ſed Athenienſes ſerius, quàm reliquos ob minorem diſpoſitionem, non vero ob contagium aliunde delatum noxam ſenſiſſe dicendum eſt.

OBSERVATIO IJ.

ANNO 1348. peſtem cum ſputo Sanguinis vniuerſaliter graſſatam eſſe, qua circa feſtum Sancti Laurentij inter

tra 24. horarum ſpatium in ſola Euſordiæ Ciuitate 1500. homines enecti ſunt varij referunt, ex Sennerto *de feb. lib.* 4. *cap.* 1. *de peſtilentiæ natura, & cap.* 17. *de tuſſi epidemia.* Hanc profectam eſſe ab Saturni & Martis conjunctione (licet ex magnitudine, ac diffuſione morbi luminarium aliquod deliquium conſpiraſſe veriſimile ſit] oſtendit Fracaſtorius his verſibus.

Bis centum fluxere anni, cum flammea Marte.
Lumina Saturno triſti miſcente per omnes.
Auroræ populos, per quæ rigat æquora Ganges
Inſolita exarſit febris, quæ pectore anhelo
Sanguineum exagitans ſputum, miſerabile viſu,
Quarta luce frequens fato perdebat acerbo.
Illa eadem Aſſiriæ gentes, & Pertidos, & quæ
Eufratem, Tigrimque bibunt poſt tempore paruo

Corripuit , diteſque Arabes , mollemque Canopum:
Jndè Phriges , indè & miſerum trans æquora vecta
Infecit latium , atque Europa ſævijt omni.

OBSERVATIO IIJ.

ANNO 1552. Verno tempore perniciofis febribus miſerrime affligi Anconam *lib.* 5. *in ſcholio. & lib.* 6. *de feb. cum morbis epid. obſer.* 4. febribus malignis ab Auguſto menſe, vſque ad Nouemberm Alemariam corripi ſcribit Foreſtus. Eodem quoque anno peſtis Haphnie in Dania breui temporis ſpatio multa hominum millia proſtrauit, vt inquit *Senn.Prac. lib.* 6.*par.* 3. *cap.* 3. *de contagio, qui de feb. lib.* 4. *cap.* 1. de peſtilentiæ natura ex Valeriola refert in Gallia Narbonenſi anno 1553. peſtem loquentes , & incedentes,tamquam fulmine tactos ſtatim interfeciſſe. In eodem quoque *de feb. lib. eodem cap.* 5. de preſeruatione a peſtilentia in obſidione metenſi annis 1552. 1553. peſtem graſſatam eſſe legitur.

Die

Die vltima menſis Auguſti anni 1551. cujus anni ephemerides mihi non ſuppetunt, ex Cypriano Leouitio in prædictione aſtrologica ad annum 1561. & 1562. conſtat celebratam eſſe Solis eclipſim in Virgine. Hujus luminaris defectu; ſiquidem ſeuijt binos annos, vtidem ibidem notat, adjuncta maleficorum Planetarum ſynodo menſe Februario, & eorum quadrato aſpectu menſe Iulio ejuſdem anni 1552. contingente, ægritudines exitiales Anconæ, Alemariæ, nec non peſtis Daniæ, Galliæ, Lotaringiæ ſine dubio acceptæ referendæ ſunt; & fortaſſe etiam, quæ in obſeruatione proxima recenſetur peſtilentia.

OBSERVATIO JV.

NARRAT Sennertus de *feb. lib.* 4. *cap.* 3. de contagio ex linteo Laubani explicato, in quo incluſum putabatur contagij peſtilentis ſemen, peſtilentiam exortam eſſe indé Vratislauiã, & hinc Goldbergam, Goldberga per veſtes a vigili in turri Lignitium deporta-

tam, & poſtea per columbam e turri delapſam, & a cuſtode portæ exceptam hinc indé per vrbem diſſeminatam anno 1553.

Hujuſmodi Sileſiæ calamitatem, quæ ſine anni temporis notificatione notatur; ineunte æſtate poſtquam infortunæ aduerſo radio ſe aſpexerunt excitatam eſſe credibile eſt. Tali igitur malignorum errantium aſpectui & Solis ſupranotæ, eclipſi adhuc ſæuienti, non verò contagij peſtilentis corpuſculis ab explicato linteo excitis, quia vt dicetur digreſſione 18. peſtis per fomites non propagatur, hoc malum attribuitur: ſi fortè tamen non anno 1553. vt legitur, ſed anno 1556. quia annis 1542. additi anni 14. intra quorum ſpacium in linteo contagium latuiſſe creditum eſt, dant annos 1556. lues Sileſiam adorta eſt: eidem cœli conſtitutioni, a qua ſequentis obſeruationis morbi dependent, aſſignentur.

OBSERVATIO V.

ANNO 1556. ſcorbutum epidemium grauiter afflixiſſe Brabantos ob

vſum

vſum ſecalis corrupti, & famen ſæuam ex Romberto Dodoneo ſcribit Sennertus *Prac. lib.* 3. *ſec.* 2. *cap.* 2. de ſcorbuto eodem anno æſtate, autumno, atque hyeme febres tertianæ ſimplices duplices hemitritei Alemariæ, & in vicinia graſſabantur referente Foreſto *lib.* 3. *de feb. intermittentibus obſer.* 4. 5. 7. 16. 17. & in earum ſcholijs.

Anno ſuperiore die 4. Junij h. 15. circiter poſt meridiem ad eleuationem poli locorum affectorum Lunæ eclipſis maxima horarum quatuor celebratur. Ab hac ecliptica luminarium oppoſitione quæ in annum ſequentem, & circa menſem Aprilem differt operationem, vtpote quæ inter domum ſeptimam, & octauam contingit, vbi ferè poſt annum auſpicari ſolet epidemiam conſtitutionem, quod videbimus in digreſſione octaua; & infortunarum coitu menſe Martio eiuſdem anni 1556. patrato, nec non cometa in proxima obſeruatione memorando Sileſiæ partis, & Scorbutus Brabantiæ Alemariæ, & viciniæ infirmitates; non verò a victu

prauo, qui morbis vulgaribus producendis eſt impar, vt patebit ex digreſſione tertia, ſunt deducendæ.

OBSERVATIO VJ.

CUM Poſt magnam annonæ caritatem, frumenta, quæ diú aſſeruata, tandem ſitu contracto a multis comederentur: primum in pago Anticaſtro inter Agam comitis, & Delphenſem ſito menſe Iulio anni 1557. pauló ante variolis apparentibus peſtis exorta eſt nulli ætati parcens, quæ celeriter ad Delphenſes peruenit breui plurimos adoriens, & oriente canicula inualeſcens, quâ autumno ineunte ſingulis diebus 100. abſumebantur, ac per aſperrimam hyemem viros, & mulieres, & pueros tam immaniter proſternebantur, vt 5000. ciuium deſiderata ſint: & quamquam in principio pauci ex ditioribus interficerentur: attamen circa autumnum hemitriteis graſſantibus ex primoribus, ac de magiſtratu plurimi perempti ſunt, vt tradit *Foreſtus lib. 6. de feb. epid.*

epid. obſer. 9. morbi originem a victu prauo, ab aere verò infecto ejus progreſſum male deducens. Durauit autem malum a Majo anni 1557. vſque ad Nouembrem anni ſequentis juxta obſeruationem 24. in Scholio. Eodem anno 1557. menſe Julio poſt cataclismum Nimeſianos agros devaſtans, & feré totam Ciuitatem occupans ſæuijt morbus epidemicus *Coqueluche* vocitatus adeo immanis ac truculentus, vt quamplurimos de medio tolleret die ad ſummum 14. nam die 4 & 7. plures interibant, quos tuſſis cum faucium aſperitate, inflammatione feruenti, ac febre continua corripiebat. Vide Riuerij obſeruationem 9. morborum infrequentium. Hoc anno etiam a menſe Octobri vſque ad hyemem peripneumonia graſſata eſt, vt ait *Sennertus de feb. lib.* 4. *cap.* 17. de catharro, quo tempore ſevijſſe quoque Alemariæ febrem morbo gutturis comitatam ſcribit *Foreſtus lib. 6. de morb. epid. obſer.* 1.

Bis hoc anno infortunæ oppoſitis radijs ſe ſe intuentur, priùs menſe Martio,

tio, poſterius Iulio. Oppoſitio poſterior, in qua mars hæret Lanci auſtrali Stellæ fixæ ſecundæ magnitudinis de indole maleficorum mala, quæ erumpunt autumno, produxit: prior verò Galliæ morbum, & Hollandiæ peſtilentiam prodromis variolis excitauit vnà cum Lunæ defectu anno ſuperiore, menſe Nouembri poſt menſes circiter octo graſſari incipiente adjunctis cometæ viribus, qui eodem anno 1556. apparuit menſe Martio, de quo facta eſt ſupra mentio, vtpotè Sileſiæ & reliquarum ſuperioris anni calamitatum cauſa & adjuuans, cujus motum a die 4. ad diem 18. contra ordinem ſignorum a gradu 8. Libræ ad ſignum Tauri præter alios obſeruauit *Foreſtus lib. 6. de feb. cum morbis epid. obſer.* 9. a quo miror, quod tantus aſtrologiæ commendator, & in ejuſdem ſcientiæ oſores inuector, qui erecta figura in lunatione illius apparitionem, [quod ridiculum eſt] ſequente famem, & peſtem præſagiſſe fatetur, hanc Ollandiæ luem non deriuauerit: ſed a victu prauo, & aere infecto, cum do-

doceat, & male a corporibus cæleſtibus ſolam peſtilitatem, reliquos morbos vulgares ab ſublunaribus cauſis eſſe deducendos.

Aer Morbos populares non generat.

DIGRESSIO PRIMA.

MORBUM Communem a cauſa communi dependere omnibus in confeſſo eſt, atque eadem cum ãtiquis tum neotericis ſemper aer potiſſima credita fuit: quare Hippocrates aphor. 3. aeris alterationem variam varios ſequi morbos oſtendit, & *epid.* 3. *ſect.* 3. a calida & humida anni conſtitutione peſtem deducit: cujus exemplo ducti poſteri omnes morborum vulgarium causam in aere collocarunt Equidem veriſimile videtur eum vel inſpiratione attractum vel per cutis ſpiracula admiſſum in corpora vitioſa ſua conſtitu-

tutione humores deprauare, & varios affectus inducere.

Verum aera ſicuti ad priuatorum, endemiorumque morborum generationem facere non diffiteor; ſic epidemiorum eſſe cauſam negare non dubito. Nam aer intemperatus, ſiquidem vt eos, qui ſemper maligni ſunt, vel peſtilentes; ſolum enim hiſce graſſantibus alexipharmaca adhiberi, etiam malignus, vel peſtilens, quia omne agens agit, vt aſſimilet ſibi paſſum, ſit oportet; talis non exiſtit, eo quod in amplo, ac libero ſpatio vſque ventilatus, putredini a prohibita tranſpiratione prouenienti non eſt obnoxius, ne ſcilicet inſpiratus, cum malignus & peſtilens idem ſit ac venenatus, omnia perdat animalia. At dato & non conceſſo, quod aer calidior, vel humidior citra corruptionem ægritudines epidemias gigneret; eæ tamen omnibus communes non eſſent, nec ineuitabiles, cujuſmodi exiſtere monſtrandi erit alibi occaſio; ſiquidem ille caliditatis, aut humiditatis exceſſus, nec duriores nec aſſuetos,

mi-

minus eos qui ab eodem ſe ſe defendere valent, afficeret, neque vniuerſaliter, neque plures menſes & annos, quales fuere 32. circiter ab hinc annis, graſſarentur; eo quod exceſſus ille non adeſſet vbique gentium ob locorum ac regionum differentiam, nam dum hic idem ſiccior percipitur, illic ſentitur humidior: ſic æſtate quadam, quæ in Pedemontis ad belligerandum erat valde commoda, in Ungaria milites Cæſarei, & hoſtiles ab excurſibus propter pluuias continuas prohibebantur; nec tandiu duraret ob tot, tantaſque temporum viciſſitudines tanto temporis interuallo contingentes; tandiu enim illo perſiſtente quippe qui continuè foueret morbum, nemo labe epidemia infectus ſaluti vnquàm reſtitueretur.

Dices cum *Sennerto de feb. lib.* 4. *cap.* 2. de peſtilentiæ cauſis in pluuioſa & continuata aeris conſtitutione illum ob multos vapores, qui vſque eleuantur, non diſcuſſos putreſcere, & corrumpi, & pro minori vel majori corruptione malignam vel peſtilentem acquirere indo-

dolem, qui quamuis inſpiretur non omnia animalia perdere; quia non totus inficitur ſed duntaxat ejuſdem hinc inde diſperſæ particulæ, pro quarum configuratione modo vna modo alia animantium ſpecies, nec tota percutitur. Aegritudines hujuſmodi eſſe communes omnibus, ſed plures vel pauciores pro majori vel minori eorum reſiſtentia, ægrotare: nec eſſe ineuitabiles, eo quod quæ antidota curant, eadem etiam præſeruant. Aeris vniuerſi vitio ægritudines vt vniuerſaliter, & pluribus in locis graſſentur, non indigere, neque haſce vagantes cauſâ præſente foueri; quia hæc illis incipientibus deſinit, vt videre licet Benedictum ſiluaticum reſponſo 15. & Vuilliſium de *feb. cap.* 17. eaſdemque in aliquo terræ tractu exortas aere deuehi, & per contagium laté explicari, diuque perſeuerare: proinde ægrotantes in ſtatu epidemio conualituros euadere e morbo, aeremque vulgarium affectionum eſſe productiuum, & obnoxium putredini, & corruptioni, præſertim quia *Salom.* 3. *Reg.* 8. 37. *&*

Deu-

Deuteronomium cap. 28. 22. de aere corrupto mentionem faciunt, docetque Ariſtotilles elementa omnia præter ignem putreſcere.

Verum etſi aer non totus; ſed ejuſdem duntaxat partes hinc inde diſperſæ corrumperentur, eæque morbos epidemios gignerent: tamen hiſce ſiue malignis ſiue peſtilentibus in regione, vel ciuitate graſſantibus, vt impoſſibile eſt quin omnia animalia eas inſpirantia corriperentur: ita non ideo certum animantium genus ægrotat, quod certæ ejuſdem particulæ eidem ſint aduerſæ. Quin a cauſa communi ægritudines pro minori vel majori patientiam diſpoſitione leuiores, vel grauiores communes fieri poſſint nulli dubium; ſed communes fieri ijs, quibus eodem eſt evitabilis credibile non eſt. Fateor medicamenta quæ curant, eadem & præcauere morbos, ſed ſporadicos, non populares; quod notum ſi fuiſſet Medicis, vtique non tot abſurda de præſeruatione a peſtilentia ſcripſiſſent. Quod affectus epidemios contagium nec longe nec late

dif-

diffundat, quippe vix aliud datur præter illud, quo æger ſecum conuerſantes inficit, alias monſtrabitur. Nec video quomodo vulgaris ſeu peſtilens affectio aere delata in ciuitatem incumbat, ibique etiam complures menſes, & annos ſæuiens, quæ potius illo à ventis crebro per annum, & vehementer perflantibus jactato huc illuc rapi deberet, imo diſperdi. Porro quod ſemper aeris tranſacta intemperata conſtitutione, erumpant infirmitates, verum non eſt: nam Syluius febres intermittentes ab Auguſto anni 1669. ad Ianuarium ſequentem graſſantes a nimio æſtu primi quadrimeſtris, & ab ſecundo nimio frigore deducit: tum Vuilliſius *de feb. cap.* 14. affectum cum pluuioſo vere inceptum, & cum eodem diu graſſantem, deſcribit tum *Sennertus de feb. lib.* 4. *cap.* 2. de peſtilentiæ cauſis mortem ſubitaneam a peſtilentis veneni ſeminibus aere ſpartis in peſte deriuat.

Quod Phyloſophi nec non ſcripturæ Sacræ authoritatem attinet, ea ſententiæ noſtræ non officit: quoniam etſi dici-

cimus aerem in amplo ac libero ſpatio, quia difflatur, minime putreſcere; non negamus tamen alicubi obſtructum nec ventilatum, vt ſupra innuimus, ſubire putredinem, & corrumpi, vbi vapores fætidos ex cloacis,ſtagniſque fætentibus excipit, qui quidem moleſtus eſt, & noxius, quocirca Moſes corruptum aerem impræcatur impio: nihilominus morborum vulgarium, quod in ſequenti obſeruatione patebit,cauſa minime exiſtit.

OBSERVATIO VII.

AMBROSIVS Pareus *refert lib.* 10. *cap.* 3. in ciuilibus Galliæ bellis penè ex puteo centum alnas alto, in quem projecta fuerunt interfectorum cadauera poſt duos menſes tam fædum, ac venenatum halitum expiraſſe, vt inde peſtis, quæ multa hominum millia jugulauit per viginti vndique circumcirca milliaria excitata ſit anno 1562. eodem anno ab Octobri per totam hyemem Delphis; deinde anno ſequente vere incipiente ſynochas cum variolis, & mor-

billis non ſolum in pueros, & ſeniores, ſed in eos etiam, qui morbos hujuſmodi aliàs paſſi ſunt, ſæuijſse ſcribit Foreſtus de feb. cum morbis epidemicis obſeruat. 44. 46. 49. ab aere humido & nubiloſo haſce affectiones deducens.

Non graueolentia putei illius peſtem: at Iouis & Martis Pleiadibus hærentium maligna conjunctio menſe Martio, & peſſimorum errantium ſynodus Majo patrata produxit. Horum etiam congreſsui, & ſextili radio menſe Septembri Saturno cum Hercule juncto febres cum variolis ab Octobri tota hyeme ſæuientes in Ollandiam aſſignantur, quas excipit ver tota æſtate vexantes ob maleficos exeunte Februario anno 1563. ex oppoſito ſe reſpicientes.

Nec

Nec fœdi & fœtentes halitus vndecumque expirati, nec minerales auræ ſunt epidemiæ.

DIGRESSIO SECVNDA.

SI Aer intemperatus putredini a prohibita tranſpiratione prouenienti eſset obnoxius; morbis epidemijs inducendis, vt dictum eſt in prima digreſſione, foret inidoneus cum alijs de cauſis, tum præcipuè quia cum illi ſint ineuitabiles, illius intemperies varijs adhibitis contrarijs corrigi poſset: etiam fœdis ac fœtidis effluuijs infectus [quo modo corruptus eſt vna ex maledictionibus Deuteronomij; Siquidem alios concluſo carbonum] fumo ſuffocaſse, alios ex puteis diu clauſis tetros exhalantibus halitus enecaſse hiſtoriæ referunt] eſt extra culpam epidemiam, ex eo quod primùm putei diù clauſi,

vbi aperiuntur cauernæ graueolentes, ſtagnantes aquæ, cadauera inſepulta, ſqualores exercitus, & alia multa in ſuperficie terræ putreſcentia, quæ cauſæ ſunt euitabiles, morbos ineuitabiles, quales ſunt populares, quod ſine abſurditate dici non poteſt, inducerent. Deinde quod cum omni anni tempore excitentur infirmitates epidemiæ, nunquam eædem hyeme, quando ſilent fætores, aduenirent.

Aere autem ſalium & ſulphurum de viſceribus terræ expiratorum venenatis effluuijs infici tam improbabile eſt, vt nihil magis: nam vel ea continenter euaporant, vel ex interuallo: non continenter, quia continenter quoque graſſarentur ægritudines, & laborantes nunquam conualeſcerent: non ex interuallo tam ſcilicet cum terra mouetur, quoniam morbos malignos ſeu peſtilentes, qui frequentes exiſtunt, terræmotus qui rariſſimè excitantur arceſſeret. Hinc inferre licet, hujuſmodi venenatos halitus de interiori terra ad exteriorem vel non eleuari, ne aeri mixti, & inſpi-

ſpi-

ſpirati omnibus animantibus exitio ſint: vel ſi eleuantur vacare culpa epidemia, quia ab auris benignis, ac ſalubribus ex auro, gemmiſque varijs expiratis, quas vna cum ipſis vaporare, credibile eſt, caſtigantur. Sed ſi ex dictis illi, qui arſenicales, ſulphureos, & ſimiles meros halitus malignos, & peſtilentes eſſe conſtanter aſſerunt, aberrant: eo magis quidam mihi aberrare videtur, qui ſic correctos (nihilominus laude dignus, ſi cum Galeno modeſtius ageret] putat æqué epidemios. Quare ſicuti non halitum ex illa miræ vetuſtatis arca in Babilonia adaperta expiratum peſtilentiam, quam refert Sennertus *Prac. lib. 6. cap.* 3. excitaſſe patet ex eo, quod non vapor ex puteo in ſuperiori obſeruatione memorato exhalatus induxit: ſic peſtilentiam, qua adeo flagrauit maſſaniſſæ Regnum, & vtica vt videre licet apud eundem ibidem, minimè ab ingenti clade locuſtarum profectam eſſe pro comperto habendum eſt, propterea quod nequaquam ex inſectorum pedibus conculcatorum copia luem Narbo-

nenſem eſſe genitam, conſtat ex obſeruatione 15.

Hìc mihi, ne in ſingulis obſeruationibus repetam Authores ephemeridum, e quibus ad locorum affectorum meridianum aptatis morborum ibi memoratorum cauſas erui, eos nominare commodum videtur. Hi autem ſunt Pitatus, qui ab anno 1552. ad annum 1563. Moletus qui ab anno 1564. ad 1580. Maginus, qui ab anno 1581. ad annum 1600. & Argolus qui ad reliquum ſæculi motus Planetarum ſupputarunt; quorum ephemerides morbi contemporaneas, qui volet, conſulat.

OBSERVATIO VIIJ.

ANNIS 1564. & 1565. præcedente anni præcedentis humida conſtitutione plurima inferioris Germanię loca. Rheni quæ Accolas febrem cum tumoribus in collo phlegmaticis hyeme; vere poſtea, & æſtate cum peripneumonia &angina peſtilenti coniunctam, ex qua alij primo, & ſecundo; alij tertio, & quar-

& quarto die moriebantur, inceſſiſſet ſcribit *ſenn. de feb. lib.* 4. *cap.* 17. de tuſſi epidemia, qui *lib. eodem cap.* 5. de præſeruatione a peſtilentia mentionem facit peſtis Amburgi vehementer graſſatæ anno 1565. & *cap.* 6. de curatione peſtilentiæ narrat ex Ambroſio Pareo peſtem eodem anno per totam Galliam ſæuijſſe. Non ſolum ſuperiores planetæ ineunte menſe Iunio anni 1564. copulantur iuncti cum Aſellis, & præſepio; deinde Decembri malefici quadrato radio, & anni ſequentis menſe Martio aſpectu oppoſito ac Iulio rurſum tetragono exaſperantur: ſed Sol quoque Iunio anni 1563. deliquium patitur, cuius offenſio; ſiquidem illud contingit inter octauam, & nonam domum & horas durat geminas, anno ſequente h. e. anno 1564 incipit duratque biennio, ſcilicet annis 1564. & 1565.

OBSERVATIO IX.

NVLLA Præuia aeris corruptione morbus malignus ac peſtilens tota Europa graſſans exoritur anno 1566.

qui quia in Vngaria primo innotuit[quaſi vero antea nuſquam eadem ſyntomata apparuerint, quod abſurdum dicere] Vngaricus appellatus eſt. Vide Sennertum *de feb. lib.* 4. *cap.* 19. qui eiuſdem hiſtoriam fusè deſcribit.

Anno ſuperiore die 7. Nouembris h. 14. 38.ad Budæ meridianum alibi citius, alibi ſerius, quia Europa tota afficitur, cùm Luna maximam, qualis rariſſimè fit ecclypſim paſſa ſit, quæ poſt 7. vel 8. menſes nimirum menſe Maio, vel Iunio præ ſitu cœli, in quo patratur, quo tempore Imperatores expeditionem ſuſcipiunt, noxam inchoat. Huiuſmodi eclyptico plenilunio tam celebris luis Pannoniæ geneſis, ejuſdem ſibi partem ſextili aſpectu, & ſynodo infortunarum ante & poſt patratis; quin cometæ eodem anno apparenti; dummodo ineunte morbo defecerit, aut deficere inceperit aſſumentibus facilè conceditur. Morbus iſte nomen retineat quod in Vngaria primo innotuerit,nõ quod aeris, ſoliſque Vngarici natura produxerit. Nam cum ex cœli conſtitutione vt reliqui epidemij,

mij, profectus ſit: in quacumque Europæ Parte, quamuis nulla ſuſcepta fuiſſet expeditio, eodem tempore apparuiſſet.

OBSERVATIO X.

FEBRES Peſtilentes vna cum parotidibus Delphis; ſed & in alijs quibuſdam locis bubones, & antraces cum peſte ſubpullulabant anno 1567. ſic inquit Foreſtus de aurium morbis obſer. 16.

Delphæ & alia Holandiæ loca peſtilentia flagrant, quoniam eodem anno configurantur tres Superiores menſe Martio, & circiter Aprilem magnæ defectionis Lunæ, quæ anno ſuperiore menſe Majo paulò ante ſolis ortum ſpectata eſt in Batauia, pernicioſus effectus exoritus. Cur autem eclypſis tandiu aliquando differat operationem, ratio patebit in Digreſs. octaua.

OBSERVATIO XI.

ANNO 1570. peſtis inuadit claſſem venetam, quæ toto Mundo diffuſa Nicoſiæ a Turcis obſeſſæ præſidium, ci-

ciues ita diminuit, vt ſoli quadringenti Itali ſupereſsent, qui vrbem tuerentur. Ex hoc morbo, qui etiam in hoſtilem exercitum graſsabatur, triginta millia militum qua in exercitu, & copijs naualibus, qua in Inſulis, & præſidijs dominij Veneti diſtributorum deſiderata ſunt. Vide Nicolai Doglioni lib. hiſtoriæ Venetæ.

A binis Lunæ eclypſibus magnis prouenit hæc calamitas. Prior anno præcedente die 3. Martij ſub longitudine Venetiarum h. 11. 13. paulò ante Solis ortum celebrata menſe Februario anni 1570. in occidentales infortunium auſpicatur. Poſterior in orientales menſe Majo ſæuire incipit, quippe quæ die 20. Februarij ejuſdem anni 1570. h. 7. 27. poſt meridiem contingit. Tantæ duarum eclypſium obſeruationi addita Superiorum Planetarum ter, hoc eſt Martio, Majo, & Julio repetita, tanta pernicies, ac tanta mali dilatio competebat.

OB-

OBSERVATIO XIJ.

SEnnertus de feb. lib. 4. cap. 2. de peſtilentiæ cauſis ex Hercule Saxonia, & hic ex doctiſſimo D. Johanne Vrſino Leopolenſi refert peſtem vniuerſa Polonia graſſatam a malefica quadam aliquot ante diebus ſepulta excitatam fuiſſe anno 1572. nam cadauere ejus effoſſo veſtes ſuas, earumque reliquias adhuc in ore habens, inuenta eſt deuoraſſe.

Verùm probabilius eſt a ſuperioribus errantibus menſe Auguſto configuratis hanc luem; ſi poſt talem Stellarum poſitum exorta eſt, & ab Lunæ defectione h. 10. 37. poſt meridiem ſub longitudine Cracouiæ die 25. Junij 4. vel 5. digitos hebetatæ, quæ circa menſem Septembrem graſsari incipit, quàm a venefico eſse accerſitam. Sed ſi forté morbus circiter anni principium infeſtare inceperit [ſine enim anni temporis notificatione hiſtoria deſcribitur] haud erit rationi incongruum a malignorum

Pla-

Planetarum aſpectu in fine Octobris anni præcedentis contingente illum deducere; cum eclypſium more effectum ſuum in complures menſes ijdem differre valeant. Hanc Sagam veriſimile eſt alto, ac diuturno ſopore ex ſoporiferorum a Demone indicatorum vſu diutiùs ſolito detentam fuiſse ſolummodo; non vero defunctam, dum in ſomno per caminum euolans ad ſympoſia, choreas, & ſimilia ferri ſibi videbatur, interea ſepultam: expergefactam verò in tumulo rabie vel fame concitam dilaniaſse veſtes, ac deuoraſse. Caſum hunc circumſtantiæ quædam aliqua fide dignarentur; ſi cauſa morborum popularium deſtitueretur, quem Scriptores illi ſilentio preterijſsent; ſi peſtilentiæ vera, & naturalis cauſa eoſdem non latuiſset.

OBSERVATIO XIIJ.

CUM Anno 1573. Herlemum ſtrictiſſima obſidione prẹmeretur, & decimo die Julij initum ſit prælium,

in

in quo multi ex Hiſpanis, & complures Bataui interficerentur, jacerentque inhumati: ex infecto aere in vtroque exercitu atque Herlemi [cujus ciues ad tantam annonæ difficultatem redacti ſunt, vt qui Hiſpanis militibus non ſe dederunt; gliribus, muribus, canum, & æquorum carnibus, arborum primo, ac vitium folijs abſumptis, veſci coacti ſint] peſtem exortam tradit *Foreſtus lib. 6. de feb.* cum morbis *epid. obſer.* 26. ſcribens ibidem eadem plaga grauius percuſſum eſſe Rederodamum, ciuitatem Bridenſem, & deinde Delphenſem, quæ menſe Decembri inualeſcens nulli ætati parcens, nullique hominum ordini, ingentem ſtragem edidit.

Superiores cum fixis ſtellis exitialis indolis juncti, & menſe Aprili configurati minimè fætor cadauerum, aut victus prauus hanc calamitatem aduocauit: illum enim ad gignendos populares affectus aptum non eſſe oſtenſum eſt in ſuperiori digreſſione: hunc quoque eſſe hujuſmodi in proximè ſequenti patebit.

Vi-

Victus prauus communis abeſt a culpa epidemia.

DIGRESSIO TERTIA.

NON Solum aer ſi vitium aliquod contrahit quocumque modo attractus in corpora eadem morbis vulgaribus afficere vulgo ſemper creditus eſt; ſed etiam victus communis ſi grauus exiſtit in annonæ caritate in obſidionibus diuturnis in caſtris, eo quod cibis vitioſis, aquiſque corruptis ob meliorum defectum famelici ac ſitibundi vti coguntur, cum prauos humores generent tam a Modernis, quàm ab Antiquis morborum popularium & peſtilentiæ præcipué cauſa ſemper habitus tam certa, vt in adagium venerit . . . .
Verúm quamuis prauorum ciborum vſu, quibus veſcuntur egeni fame regnante publica vt cauſa communi morbi epide-

demij rectè deduci videantur : tamen ijdem fami, quamobrem ſupramemoratum prouerbium falſitatis arguitur, nempe victui prauo communi æque male ac aeris vitio aſſignari argumento eſt, quod cum nemo a peſte vel alia ægritudine epidemia immunitatem ſibi polliceri poſſit, ab eâdem illi, quibus abundè adſunt omnia, vt diuites, & magnates, immunes degerent. Deinde quod ab annonæ difficultate; ſiquidem tam quæ vi, & auaritia procuratur, quàm quæ ab ſyderibus dependet, rara exiſtit, morbi populares, qui frequenter ingruunt, prouenirent. Denique quod peſtilentia vel alia ægritudine vulgari famem excipiente non pauperes ſoli, & loca famelica, ſed etiam opulenti, ciuitates, exercitus omnibus rebus ad victum neceſſarijs inſtructi percutiuntur, quod apparet ex ſuperiori obſeruatione: nam Hiſpanorum exercitus, quamuis famem non ſenſerit, pariter tamen ac Batauorum, qui vitioſis cibis vſus eſt, neutro infectione aeris inquinato, peſte jactatur.

OB-

OBSERVATIO XIV.

NIcolaus Dolionus hiſtoriæ Venetæ *lib.* 17. refert immani peſtilentia conflictatas eſſe Venetias a Majo anni 1576. ad Octobrem; ad Januarium ſi malumus credere *Foreſto*, *qui obſer.* 9. *in Scholio ait* 6000. ciues, inter quos 60. Medicinæ Doctores periere, peſte abſumptos eſſe.

Jdem Hiſtoricus a ſalſarum aquarum potu ob Maris Undas in vrbis puteos effuſas hoc malum exortum eſſe opinatus eſt; ſed perperam: nam Tridentum, Mediolanum, Brixia, Verona, Vicentia, Patauium, & alia multa Italiæ loca eodem morbo, ac tempore conflictata, nequaquam hujuſmodi aquis vſa ſunt. Alij quia nec aeris vitium, nec famem præuiam, vnde tantum malum, quo correpti incedendo, & loquendo, ſubitò conſidebant, deducerent, non habebant; peſtem Venetias, Patauium, & alias ciuitates occupantem a Tridentina mediante contagio tran-

translatam eſſe credidere , ſed malè ; quoniam , præterquam quod Mercurialis , & Capodeuacca Medici celeberrimi morbum hujuſmodi , ad cujus curationem Venetias accerſiti ſunt , contagioſum eſſe negarunt: ab Saturno , & Marte, qui paulò poſt œquinoctium vernale congreſſi ſunt fixis Aſtris de lumine Jouis , & Martis comitati , hæc Italiæ calamitas duxit originem .

Per vnguenta, & pulueres ſparſos morbi vulgares non inducuntur.

DIGRESSIO QVARTA.

VIrulentorum puluerum , & vnguentorum compoſitiones a perfidis , ſceleſtiſque hominibus excogitatas dari , quibus januarum anſæ , veſtes , & ſimilia illita priuatim perimant , indubitatum eſt ; át ex his linimentis morbos peſtilentes induci perſuaſum non ha-

beo; ſiquidem vt tota ciuitas, & plura loca inficiantur ingenti vnguentorum, & puluerum copia, quæ difficilè apparantur, opus eſt. Non dices aliquot duntaxat januarum anſis, & veſtibus infectis, tactis deinde, & commotis tamquàm fomitibus effluuia peſtilentis veneni exilire, quæ obuios quoſque corripientia peſtem tota Ciuitate diſſeminent; quoniam fomites nullos eſſe, nec proinde per ipſos eandem propagari, nec ſemper eſſe contagioſam aliàs monſtrabitur. Non igitur eo quod tale ſcelus peſtes ſequtæ ſunt, haſce hinc præcedere credendum eſt; quoniam peſtilenti morbo hujuſmodi puluerum aſperſio, & vnguentorum inunctio rarò; ſemper verò aduerſa cœli conſtitutio vera, ac ſola effectuum epidemiorum cauſa præcedit.

Neque ſolum compoſitiones virulentæ, quæ ab ſceleſtis hominibus excogitatæ, atque illitæ priuaté interficiunt, affectibus epidemijs excitandis ineptæ ſunt; ſed etiam quæ a ſagis ad peſtem inducendam longé, latèque adhibentur,

tur, ſunt omnino futiles. Nam ſi medium quo Lamiæ putant homines infirmari, nullius momenti eſt; quia illud adhibent Diaboli ſuaſu ad affectionem exciendam, in quam ipſe rerum naturalium ſcientiſſimus præuidet ex vitioſo corporis apparatu mox eſſe lapſurum aliquem, & qua nihilominus ſine vlla veneficarum opera idem correptus fuiſſet, vt videre licet apud *Senn. Prac. lib. 6. par. 9. cap.* 5. de morbis ab incantatione: erit certè quoque inane medium, ſeu inſtrumentum vtì pulueres, vnguenta, & ſimilia, quibus ſagæ de juſſu mali Demonis ad excitandam peſtilentiam, vel alias ægritudines populares vtuntur; quandoquidem Diabolus haſce certius præuidet talem eclypſim, vel talem infortunarum coitum eſſe ſequturas. Propterea vnguentum atrocei coloris, quo biennio, ſi rectè memini, antequam febres illæ quam perniciosæ triennium, & vniuerſaliter graſſatæ, de quibus fit mentio in obſeruatione LXI. ingruerent, parietes omnes, & forſan vbique momento temporis il-

liti ſunt, vanum prorſus extitit: quoniam eas ab eclypſi Solis anni 1676. & Superiorum concurſu, tum ægritudines a tribus vel quatuor Lunæ defectibus annorum 1674. & 1675. latè noxijs genitas, ille profecturas eſſe facilè præſentijt.

OBSERVATIO XV.

ANNO 1580. circa diem vigeſimum menſis Junij, ac totum Julium febris admodum contagioſa cum tuſſi, ac catarrho conjuncta, qua integræ familiæ corripiebantur, licèt non admodum periculoſa, cum plurimi euaderent, Delphis populariter graſſabatur, ſic referente *Foreſlo lib. 6. de feb. cum morbis epid. obſeruat.* 3. qui in ſcholio ſequenti ait, hunc affectum ex Germania, & Gallia afflatu quodam Delphas aduenisse, ac paululum remisſum poſt menſem Julium, & Auguſtum autumno ſcilicèt Octobri, ac Nouembri inualuisse: De hac ęgritudine omnes propemodum mundi regiones peruagata ſub ſyrij ortum,

tum, atque autumnale œquinoctium, ſæuiente mentionem quoque facit *Senn. de feb. lib.* 4. *cap.* 17. de catarrho, ac tuſſi epidemia ab annorum præcedentium humida conſtitutione, & auſtrino flatu ejuſdem cauſam deducens, innuenſque vix milleſimum quemque hoc malo correptum perijſse. Sed vltra 2000. homines Romæ eos videlicet, quibus vena ſecta eſt, & valetudinarios extinctos eſſe. De eodem etiam ſcribit Campana *de hiſtor. mundi lib.* 1. aſserens in tota Italia illum, quo nec Africa quidem, & Aſia erat immunis a menſe ſextili ad totum Septembrem viguiſse, & in quibuſdam prouincijs ex dieta, purgatione ac phlebotomia magis exacerbatam eſse; cui contra in aliquibus meri potus, & paucarum applicatio curcubitularum remedio erat. Anno eodem per æſtatis maximam partem poſt inſectorum innumerabilium congeriem menſe Aprili, & Majo exortam, quæ quidem tam ingens errupit, vt itinera quæque occuparet, neque effugere quiſque potis erat vellet nollet, ne pedibus conculcaret.

Arelati, Auenione, Belligardi, inque alijs locis non procul diſsitis tanta peſtilentia graſsata eſt, vt perpauci eam euadere potuerint. Riuerius obſer. 10. morborum infrequentium.

Anno 1579. die 25. Februarij fuit eclypſis Solis non mediocris in ipſo ejuſdem occaſu, vbi contingens ſæuire incipit feré poſt annum in regiones a longit. gr. 36. verſùs, & vltrà occidentem diffuſas. Anno autem 1580. die 31. Ianuarij ſub longit. Venetiarum horis poſt meridiem fere 11. ſed ratione meridiani locorum affectorum, pluribus vel paucioribus integrum paſſa eſt Luna deliquium. Patratur inſuper maleficorum ſynodus die 17. menſis Martij. Huic peſſimæ conjunctioni, & geminis luminarium defectibus eodem tempore ſimul efficientibus tam immenſæ tuſſis, tantaque tuſſientium frequentia adſcribitur: rara vero funera, tametſi, vt apud *Senn. de feb. lib.* 4. *cap.* 5. de præſeruatione a peſtilentia videre licet, hoc morbo confecti 500000. numerentur, affectionis naturæ, quia cum priuatè

mo-

moleſtat, vt plurimum ſalutaris eſt, debentur. Galliam Narbonenſem peſtilitas exercet, dum per reliquas regiones palatur catharrus, ac tuſſis, eo quod aduerſa ſtellarum poſitio majorem cum illa, quàm cum iſtis contrarietatem nanciſcitur. Miror interim, quod Riuerius tam graue Galliæ malum ridiculæ, & inodoræ grillorum ſtragi, quam vidimus editam anno 1695. & aliàs ſine vllius hujuſmodi calamitatis ſucceſſione aſſignet: & quod *Sennertus cum de feb. lib. eodem cap.* 2. de peſtilentiæ cauſis fatetur aerem; quia locus a loco, regio a regione valde differat, vniuerſaliter non vitiari; a ſe ipſo diſsidens ab humida annorum præcedentium conſtitutione Germaniæ[nec probabiliter toti] communi deducat. Quem errorem profecto viri grauiſsimi non comiſſiſsent, ſi vel mediocriter gnari fuiſſent Jatro-Aſtronomicæ ab ipſomet Sennerto de methodo diſcendi Medicinam tam commendatæ.

Sola aduerſa ſyderum influentia eſt morborum popularium cauſa.

DIGRESSIO QUINTA.

CVM morbus popularis interdum vniuerſalis ſit, & per magnam mũdi partem graſſetur, ſemper vſpiam ſæuiat: cum non minus ſaluti ſuæ recta viuendi ratione conſulentes, quàm intemperanter viuentes malo epidemio corripiantur: cum tam hyeme, quàm æſtate, tam temperato, quàm intemperato anni tempore, eoque non magis rebus omnibus ad victum neceſſarijs indigente, quàm effluente clam, tacitèque ſe prodat: cum non hoc quandoque, ſed illud hominum genus, & ordinem afficiat: nonnunquam affectus ſalutares æmulans vix perimat milleſimum quemquam ægrotantium: interdum tan-

tanta ſæuiat atrocitate, vt vix milleſimus conualeſcat, ac ciuitates breui depopuletur, vt ex hiſtoriarum lectione videre licet. Quandoquidem agens pro natura, qualitate, ac viribus, quibus inſtructum eſt effectus producit: illud quod eſt vniuerſale, frequens, ineuitabile, & omnis ſenſibilis qualitatis expers, quod mirabili, hoc eſt occulto agendi modo, & malignitate præditum exiſtit, morbos epidemios generabit. Hiſce proprietatibus cum inſignita ſit ſola influentia aſtrorum maligna, ea ſola ægritudinum popularium cauſam ſuſtinebit.

Equidem, ſicuti cœlum, & ſydera agentia ſunt vniuerſalia, procul dubio & eorum influxus eſſe poterit hujuſmodi, & omnibus mundi partibus dominari.

Influentiæ autem frequentiam oſtendunt Saturnus cum Joue in ſingulis annis viginti [præter cometas per ſeculum ſæpe apparentes] Saturnus cum Marte ſingulis quinque & viginti menſibus; Juppiter cum eodem ſingulis men-

menſibus viginti ſeptem congredientes, qui intra ejuſdem ſpatij medietatem omnes ſe opponentes, atque intermedio tempore alijs radiationibus, ſiquidem non influunt niſi corpore vel radijs conjuncti, ſæpe per annum configurantur. His adde eclypſes intra binos annos, intra ternos, quandoque bis in annis ſingulis contingentes.

Euitari nequit aſtrorum influxus; nam ſi illi, qui metalla generat, tanta terræ denſitas eſſe nequit impedimento, ne in profundiſsimas illius cauernas penetret; hanc malignam vim ſyderum nec ignes publicè accenſi fugabunt, nec tormentorum ſtrepitus diſsipabunt, nec medicamentum aliquod vitale inſtante aduerſa conſtellatione vſurpatum a corporibus prohibebit, reddetque impenetrabilem, vtpote carentem contrario.

Porro inſenſibiliter, tacitèque cum nullius ſenſibilis qualitatis particeps exiſtat, ſubit corpora hæc ſtellarum poteſtas, vbi ob mirabilem, & occultum agendi modum, quo prædita eſt, modo ſtatim aperit noxam, modo

do plures dies, menſes, & annos integra, & innoxia deliteſcit, hoc potius, quàm illud hominum genus, vnam potius regionem, vel ciuitatem leuius, aut grauius pro ejuſdem minori vel majori, cujus maxima eſt latitudo, vndè minima vel maxima ſtrages editur, malignitate percutiens: cumque eadem conditionibus ad epidemios producendos affectus neceſſarij ſola, vti dictum eſt, prædita ſit; non mirum ſi victum prauum, aera, & fætidas expirationes, quibus eundem permiſtum peſtilentem fieri omnibus perſuaſum eſt, a culpa epidemia abſoluimus: hæc enim nunquam poſſunt eſſe vniuerſalia, qualis eſt hujuſmodi influentia, licèt aliquandò antipathiæ ratione anguſtiori termino circumſcribitur, nec tam frequentia, nec ineuitabilia ſunt omnibus; ſiquidem illorum incommodis inopes, & miſeri ſoli patent; neque inſenſibilia exiſtunt, ac certo agendi modo, quem requirunt morbi vulgares, deſtituuntur.

Verùm vbi dicimus ab ſolis ſyderibus morborum popularium ſemina diffundi,

di; eadem inter cauſas naturales hujuſmodi vim habere intelligimus, cum verißimum ſit etiam ab irata Dei dextera propter ſcelera noſtra peſtem immediatè nobis immitti, vt docet *Leuit. cap.* 26. *v.* 36. *Num*: 14. *v.* 12. *Deut. cap.* 28. *v.* 21. 2. *Regum. cap.* 24. *v.* 13. imo fatendum eſt, cauſas naturales, per quas ſecundum ordinariam poteſtatem Deus agit, eidem in proſperis rebus placato, & in aduerſis irato famulari.

Quin autem detur aſtrorum influxus, quod probandum eſt, ne claudicet aſſertio noſtra, nemo dubitare debet, quoniam ſi ſolo motu, & lumine, vt autumant aliqui, cœlum hæc inferiora afficeret, non opus eſſet tanto ſtellarum numero, magnitudine, loco, motu, & lumine differentium: nam toti mundo illuminando Sol, nocti illuminandæ Luna ſufficeret, neque ad temporum viciſſitudines primi mobilis, & Luminarium motus ſatis eſſet. Quare cum Sole, & Luna ſtatus vices ſeruantibus nunquam eundem ſeruans ſtatum anni tempora: quotannis venti, pluuiæ, ſere-

renitates varient; nunquam æqualiter fæcundi, vel ſteriles, ſalubres, aut inſalubres ſint anni, æſtate media frigora, media hyeme tonitrua, & calores ingruunt, nulla cauſa apparente folia exareſcant ſubito, ac de repente ſinderentur ſegetes;aliam ſyderibus prę ter motum, & lumen ineſſe vim, quæ influentia dicitur mala vel bona, liquidò conſtat.

At dicet aliquis cum Alexandro Puccinello dialogo de peſte hanc cœli efficientiam in dubium venire, eo quod apud Ariſtotilem ſileat: enim vero nullam in ethyologia moleſtiæ orionis de ea facit mentionem. Verùm quia philoſophus nec ibi, nec alibi de ea ſermonem habet, non ſequitur, non dari potius, quàm Ariſtotili non innotuiſſe; ſiquidem non ad tempus æſtiuum, in quod ortus orionis incidit, vt docet ipſe, hujus aſtri moleſtiam eſſe reuocandam, ſed ad ejuſdem influxum vel ex eo patet, quod illis ſolummodò diebus, qui ni fallor, 13. ſunt, quot ſunt ſtellæ illius aſteriſmi, intra quot idem

cum

cum Sole oritur, debacatur orion, quibus Soli alius planeta, præſertim Luna corpore, vel aſpectu jungitur, & quod omni anni tempore, ac die poteſt hoc Aſtrum nobis eſſe importunum, ſi Saturnus, Juppiter, aut Mars tunc temporis cum eo ſeruata latitudine, ſi quam habent congrediantur.

Quod ſi quis quærat quomodo aſtra vtpote corpora perfectiſſima atque puriſsima, quæ ex Platonis, & aliorum ſententia ad hæc inferiora regenda, ac fouenda condita ſunt, noceant, huic referri licet, ſydera omnia cum errantia tum fixa per ſe ſola, & ſeorſim exiſtentia, ideſt ſolo motu, & lumine, agentia multifariam prodeſſe, ſimul juncta, vt alia etiam commoda ſunt, ſic alia officere, & ex hiſce quædam influentiam morboſam exerere.

Hanc morbificam ſtellarum vim, quam tot confirmant obſeruationes, de qua an ignorans, an negligens ne verbum quidem facit Syluius, quam Villiſius de feb. lib. VII. tanquam nimis diffidam auerſatur immeritò, cum

re-

reliqui Recentiores omnium motuum in ſublunaribus excitatorum conſequenter morboſæ fermentationis authorem materiam ab æthere aduenire doceant: quam Riuerius reformatus veluti imaginarium, eo quod per occultas qualitates explicatur, repetit timere; ſiquidem *Villiſius de feb. cap.* 12. inquit morbos peſtilentes adeò verſari in tenebris, & ignotam ducere originem, vt eorum cauſæ, & eſſentia ſine recurſu ad qualitates occultas rarò explicentur, & Vualdſcmidium occultum agendi modum ætheri [cujus materia procul dubio non eſſet excogitata, ſi eoſdem modus, quo planetæ influunt, non latuiſſet] concedere ſcribit M. Aloyſius Sinapius *par.* 2. *cap.* 5. Hanc inquam norunt viri præſtantiſſimi præter alios non paucos Sennertus, & Riuerius, licét nullo rei Medicæ bono, eo quod non vnicam, ac ſolam ſed duntaxat agnoſcunt cauſam ægritudinum popularium, vbi nulla ſuppetit ſublunaris; eo quod ab ea nullum in ſpecie morbum deriuauerint: tum quod

cur

cur ſuperiores errantes, eclypſes, & cometæ ſint inſalubres nullam rationem afferunt, tum quod tempus, & modus quibus illi operantur, non explicant. Hanc nouiſſe videtur Euripides in oreſte, vbi ægrotationes diuidit in ſporadicas, quas nobis ipſimet abuſu ſex rerum non naturalium comparamus; & in epidemias, quæ a Deorum arbitrio ſcilicet ab ſtellis; ſiquidem ſtellas Etnicorum Deos eſſe notum eſt, immittentur. Nouiſſe videtur Homerus, cum Agamemnonis exercitum caſtrenſi labe infectum ab lunaris eclypſis influxu probabiliter impreſſa; fingit enim illum Dianæ iratæ, quæ Poetis Luna eſt, ſagitis impertitum, deſcribit his verſibus:

Poſt hæc fera ſpicula torſit
Fit motus, longe ſonat vna argenteus arcus,
Quo primum mulique cadunt, acreſque moloſſi.

quibus a tragicomico in Paſtore fido latiné redditis influentiæ morbificæ pro-

prie-

prietates præcipué, vis arcana maligna, & ineuitabilis pereleganter exprimuntur ſic:

Ond'ella preſe
L'arco poſsente, e ſaetò nel ſeno
Della miſera Arcadia non veduti
Strali, & ineuitabili di morte.

OBSERVATIO XVI.

ANNO 1581. Conſtantinopolim, vbi centum ex comitibus, & aſſeclis Legati Perſarum Regis defecerunt, peſtis inceſſit. Et in Belgia ineunte hyeme fluxus dyſentericus, & aliæ infirmitates pernicioſæ, diuturnæque caſtra Regis Catholici diuexant. *Campana hiſtor. mundi lib.* 3.

Die 20. Iunij ejuſdem anni ſol per horam, & vltra obſcuratur in longitudine Conſtantinopolis partes quatuor paulò poſt ejus ortum, proinde graſsationem menſe ſequente circa menſes 16. perdurantem auſpicatur. Hujus luminaris defectui peſtilentia Biſantij,

ac Flandriæ, quia eadem tali eclypſi non patuit, infirmitates noxijs planetis die penultima menſis Iulij quadrato, & die 13. Septembris trino radio ſe aſpicientibus debeantur.

OBSERVATIO XVIJ.

DYſenteria cum febre conjunctà longè, latèque graſſatur anno 1583. *ex Senn. de feb. lib. 4. cap. 17.*

Hujuſmodi affectus ſi vagari cœpit menſe Auguſto, ab infortunis die prima ejuſdem menſis anni Gregoriani ſe ſe opponentibus prouenerit. ſin prius, a ſuperiorum configuratione die 29. Martij & á magna conjunctione ineunte Majo patrata profectus fuerit.

Unde ſcateat & quid ſit influxus morbificus.

DIGRESSIO SEXTA.

CUM Conſtet dari ſyderum influentiam, quæ ſola ſit morborum popularium productiua: jam illa a quibus planetis, quaue cœli conſtitutione originem ducat, licét id ex hiſce obſeruationibus ſat manifeſtum fiat, monſtrandum eſt. Sunt igitur tres, vndè eadem manet, fontes. Primus terni ſuperiores Saturnus, Juppiter, & Mars. Secundus eclypſis. Tertius cometes, & forſan etiam ſtellæ de nouo genitæ. Hujuſmodi autem influxus & ſi qui à ſuperioribus decidit, quia pluribus modis fit, quàm qui ab eclypſi ſcatet, proprius; minus proprius, qui ab eclypſi; improprius, aut ſimplex, qui a cometa deſcendit, eo quod a ſe

ſolo producitur, dicendus ſit: non tamen errare velim, ſi illum ſine vlla diſtinctione nominem.

Quoniam igitur planetæ non agunt influentia niſi plures inter ſe copulantur, & aliquo modo ſe intuentur, quod obuium eſt vnicuique ephemerides inpicienti, ex quibus obſeruare poteſt aerem immutari, vbi plures errantes corpore vel aſpectu platico, in quo iſti differunt a morbificis, qui ſi non ſemper, imo raro ſecundum latitudinem, ideſt contraliter, ſaltem ſecundum longitudinem, ideſt partiliter juncti pariunt ægritudines, coniunguntur: conjunguntur autem, & varios aſpectus ineunt, eo quod ad differentiam fixarum ſtellarum, quæ ſemper eandem inter ſe ſeruant diſtantiam, inter ſe motu diſcrepant, ſiquidem præter motum peculiarem ſingulis inditum, modo diriguntur, modo retrocedunt modo tardi gradi fiunt, modo veloces patet influxum morbificum, nempe ſuperiorum eſſe vim quandam, quæ in ſingulis ſeorſum exiſtentibus la-

tens

tens ex duorum ſaltem planetarum, quorum neuter dependet ab altero, conjunctione, vel aſpectu, eo ferè modo, quo ex duorum lapidum conflictu elicitur ignis, educitur. Cur autem ſuperiores ſint inſalubres, qui plus nocent centraliter, quàm partiliter juncti, & plus oppoſiti, quàm aliter configurati, diſseretur digreſs. ſequenti.

OBSERVATIO XVIIJ.

ANNO 1585. Franciſci Dragi claſſem in America vernali tempore peſtilens morbus imminuit: & ciuili Galliæ bello feruente oppidum Caſtilione dictum circa æſtatem, nec non alia ejuſdem regni loca peſtis conflictat: nam Bauderonius ſcribit patrem ſuum aquam theriacalem aduerſus peſtem, eodem anno ibi graſsantem compoſuiſſe. Anno ſequente in Portu Galliæ prouincia exercitus Ducis Gioioſæ ægrotatione peſtilentiali laborat. *Campana lib. 7. & 8.*

Anno 1585. die 29. Aprilis horarum

duarum ſpatio Sol totali propemodũ lumine deficit occidentalibus populis poſt 10. vel 11. menſes citius, aut ſerius pro differentia meridianorum biennio affligens: proinde lues, quæ Galliæ varia loca annis 1586. & 1587. percutit, tanto Solis deliquio aſſignanda; quæ vero Dragi claſsem conflictat, infortunarum quadrato radio die 15. Decembris anni antecedentis, & eorundem coitu menſe Aprili anni 1586. patrato, & forſitan etiam a ſupramemorata Eclypſi, licet in America valde diminuta, ac citius operante deriuatur.

OBSERVATIO XIX.

IN Euanachæ oppido in confinibus Britaniæ, & Poitu ſito, nec non in oppido Gemes fluxus dyſentericus, & febres valde pernicioſæ anno 1588. hyemali tempore ingruunt, quæ in arce, perſeuerant tempore vernali. *Idem lib. 9. & 10.*

Anno eodem die 12. Martij celebratur Lunæ eclypſis integra, quæ in meri-

ri-

ridiano locorum affectorum circa finem menſis Octobris graſsari incipiens vim ſuam malignam exercet conſpirantibus maleficis planetis, qui hoc eodem menſe quadratum aſpectum ſubeunt.

Cur de planetis Superioribus fluat influentia morbifica.

DIGRESSIO SEPTIMA.

INFLVXVM Morbificum exerunt ſuperiores, eo quod tardigradi ſunt; nam ſi influunt quatenus corpore, vel aſpectu copulantur, vt dictum eſt in digreſs. præcedenti, & eorum congreſsus partilis, cum non niſi partiliter, h. e. perfectè conjuncti, aut configurati ſaltem ſecundum longitudinem moliantur ægritudines; ſiquidem platice congredientes, ne nimiam perniciem afferant, ſolummodo diuturnam aeris mutationem, vel temporis conſi-

ſtentiam pariunt, ſit ferme momentaneus; quamobrem conjunctis oppoſitione, & alijs aſpectibus, quia diutius durat, fortior perhibetur; morboſam vim habebunt, quia tardé ſeparantur.

Quoniam autem ſi pro motus tarditate nocerent Superiores, Saturni, & Jouis ſynodus, Saturni, & Martis coitu; quia ille infortuna major, hic infortuna minor dicitur, nocentior eſset, quod nondum pro certo habetur: ſiquidem Jouis, & Veneris amica eſt influentia, cum ſerenitatem placidam, ventos ſuaues, pluuias vtiles afferat non alio argumento, niſi quia illi ejuſdem fere ſunt naturæ, quod apparet ex nitido ſplendore luminis, quo inter ſe conuenire videntur: crediderim, quia contrariorum eadem eſt ratio, ſuperiores tum quod lente gradiuntur; Secus enim Venus, eo quod a Joue, qui cum Saturno, vel Marte copulatus officit, vix differt lumine, in cenſum morbificorum planetarum venirent: tum quod diuerſæ inter ſe ſunt naturæ, vt conycere licet e lumine, quo inter ſe diſcre-

ſcrepant: nam Saturnus coloris eſt ſubobſcuri, Juppiter nitidi, Mars rubri geminos, vel ternos [quorum ſicuti duo tantùm perfectè juncti; ſiquidem raro omnes ſimul partiliter congrediuntur, ſunt inſalubres: ita ex duobus imperfectè copulatis aliquando alter, modo cum eo ſtella fixa pernicioſa oriatur, aut coeat, eò quod alterius planetæ vice fungitur, poteſt morbos adducere) perfecte conjunctos improportionatum, & morboſum fundere influxum. Ab hujuſmodi ſuperiorum errantium ita inter ſe habentium naturæ diuerſitate, & contrarietate malignam poteſtatem fluere confirmatur apertione portarum, vti dicunt Aſtrologi, illa videlicet euidenti, moleſtaque aeris mutatione, quam eorum vnuſquiſque inferiori, qualem quoque facimus Solem; non domum contrariam, vt putant illi, quia planetarum domus fictinæ ſunt, ſed naturam a ſua diuerſam habenti junctus arceſſit. Saturnus enim Solem, Juppiter Mercurium, Mars Venerem excipientes accedentibus maxime Lunæ radijs,

eo

eo quod lumine conſequenter natura, alter ab altero differt, influxum exerunt, qui terram, & aquam ſolito fortius, ſed inſenſibiliter commouens eleuat copioſam, ac vehementem meteoris materiam, qua inondationes, grandines, & ſimiles calamitates, præſertim ſi ſtella ſixa notabilis magnitudinis præſto ſit, excitantur.

OBSERVATIO XX.

IDEM Hiſtoricus lib. 10. meminit peſtis Poloniæ que anni 1589. menſe Aprili adhuc perſeuerabat jamdudum regnum affligens. Eodem anno caſtrenſis morbus milites Ducis Sabaudiæ diuexat circa Auguſti menſem. *Idem lib. eodem.*

Poloniam eclypſis, & peſtilentium errantium configuratio modo memorata, vel ſi æſtate ineunte lues inceperit, trium Superiorum menſe Majo anni 1588. contingens radiatio percuſſit. Exercitum autem Ducis Sabaudiæ alterum ejuſdem luminaris deliquium,

quod

quod ſæuitiem incohat circa finem menſis Julij, conflictauit.

OBSERVATIO XXI.

ANNO 1590. Germanorum militum Barcellonam a Catholico Rege miſſorum febres peſtilentes pleroſque interfecere, reliquos reddidere cauſarios. Trium ſpatio menſium æſtate in obſidione Pariſiorum quinque millia ægrotantium ſæuæ ægrotationes de medio ſuſtulerunt, multo quidem pluribus fame confectis Autumno, ni fallor, Ducis Parmæ milites morbo caſtrenſi hebeteſcunt. *Idem lib.* 2.

Pariſiorum ægritudines pernicioſæ, & infirmitates exercitus Ducis Parmæ infortunis ſub finem Maij congredientibus illic citius, hic ſerius morbifico influxu in actum deducto debentur, nec non jactura militum Barcellonæ, niſi ante eorum congreſſum facta ſit; tunc enim eamdem ipſis quadrato radio ſe ferientibus aſſignamus.

Cur

Cur Eclypſis noceat.

DIGRESSIO OCTAVA:

Eclypſis noxia eſt eo quod luminarium influxus vt præſente, & integro eorum lumine, vndè promanat calor cæleſtis, ac vitalis, qui ex Auerroe in 8. phyſ. Ariſt. calorem noſtrum inſitum fouet, nos præſtat incolumes; ſic abſente; & imminuto; contrariorum enim eadem eſt cauſa, teſte eodem Ariſt. 2. phyſic. tex. 30. ſit cauſa contrarij, nempe popularium infirmitatum. Quamobrem falluntur illi, qui eclypſim non ſemper nocere putant, quia cum Solis, & Lunæ defectio toti ſit emiſpherio communis illius noxam nec ſemper nec mox omnes percipiant neſcientes eos dontaxat, qui eiuſdem influxus ſcilicet a coniunctione, vel oppoſitione luminarium deciduo cen-

centrali, cuius eſt, vt aliorum planetarum, alijs parcere, alios afficere, obnoxij ſunt morbis vulgaribus corripi. Hic autem ſiue ob contrarietatem, quę eſt inter præſentiam, & abſentiam luminarium; ſiquidem hæc, non vti Superiores planetæ, differunt inter ſe lumine; cum Luna non aliam lucem niſi quam eidem Sol impertitur, obtineat, ſiue alio modo ſit humanæ ſaluti contrarius; eclypſis nunquam ſpectatur innoxiè. Neque quis miretur, quod cum ſuperiores ex parte ſint inſalubres, quia lente gradiuntur; Luna quia motu citato vehitur, juncta, vel oppoſita Soli centraliter, non ſit innoxia; quoniam ſicuti illi niſi in ipſo tantum medio conjunctionis, vel aſpectus partiliter ſaltem ſecundum longitudinem juncti, vt aliàs dictum, morboſum influxum exererent, nimium obeſſent-ita Luna, quia toto obſcurationis tempore, h. e. a principio ad finem conjunctionis, vel oppoſitionis eclypticæ; in ipſo enim tantum medio eclypſis, vtpote motu velociſſima, nequit influe-
re;

re; morbificam vim fundit: niſi cito ab vmbra telluris ſe expediret, vel cito a Sole deflueret; defectum luminis periculoſum, aut influxum nimis exitialem pareret.

Quod ſi, vt monſtratur, eclypſis eſt inſalubris, & ſemper graſſatur alicubi; non audiendi qui dicunt eam infenſam eſſe, ſi erecta figura loco defectiuo, & angulo ſuccedenti infortuna alterutra dominetur, aut eſſe beneficam, ſi eadem loca Juppiter, vel Venus occupet; ſiquidem cum planetarum dignitates nullæ ſint; eo quod eas hominum fecit arbitrium, non natura, proinde, nullum eorum dominium; vanum eſſe hujumodi de eclypſi judicium, neceſſe eſt.

Atque hæc ſatis mihi videntur de eclypſibus perinde vt ſunt cauſæ morborum vulgarium, quæ eo Majus minantur exitium, quo plures partes eclypſatæ ſpectantur, quarum aliquot Solis, quam omnes Lunæ tanto nocentiores exiſtunt, quanto hac Ille præſtantior eſt juxta illud.

Omne

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto major qui peccat habetur.

Quæque quo plus diſtant ab oriente eo ſerius, [interea alicubi graſſantes) agere ſolent: & plurium menſium, vel annorum, provt pluribus horis Luna, & Sol deficiunt lumine, & majores ſunt, pariunt ægritudines. Quæ tamen perpetua non ſunt omnia: ſiquidem licèt Lunæ defectus, qui fit in aſcendente confeſtim, in medio cœli ſex poſt menſes, in occidente poſt annum, & proportionaliter pro diſtantia ab angulo orientali ſtatum epidemium auſpicatur: Solis attamen deliquium ſerius quandoque eundem inchoat. Præterea eclypſis Lunæ, niſi id tribuatur alicui conſpiranti conſtellationi, ad plures menſes, quàm ſunt horæ luminis ſui defectionis deſæuit: Solis verò defectio. Vel cum Superiorum errantium concurſu raro vltra terminum progreditur, hoc eſt vltra plures annos, quàm ſunt

horæ obſcurationis, officit; niſi cœli conſtitutio omnibus, quod rariſſimè euenit, fortitudinis numeris abſoluta ſit, vel multis inſtructa. Aliàs aut vaga eſt ejus noxia, dum ex aliqua regione per aliquot menſes vexata transfertur in aliam, aut infra annum, etiam, ſi plures horas idem hebeteſcat, deſinentem calamitatem, quæ plerumque eſt peſtilentialis, inducit, quod haſce legentibus obſeruationes ſit manifeſtum.

OBSERVATIO XXIJ.

JN plurimis Germaniæ locis; & ſi non eadem plane facie conſpectam fuiſſe anno 1591. febrem catarrhalem, narrat *Senn. de feb. lib.* 4. *cap.* 17. *& alibi. Idem Prac. lib.* 6. *par.* 2. *cap.* 6. ex Octauiano Roboreto ſcribit anno eodem non ſolum pleroſque é plebe, ſed ex primoribus multo magis febre petechiali grauiſſima Tridenti correptos fuiſſe. In Jtalia autem, in Umbria in primis Abruzzo, Marca, & Latio menſe Majo plurimi partim fame enecti

ćti ſunt, partim febre vehementi, ac perniciosa defecerunt. Et menſe Aprili quatercentum & bis mille milites Venetijs mittuntur in Cretam; ſed cum dyſenteria, & febres peticulares diré ſæuirent in claſſem, perpauci incolumes deſcenderunt in Inſulam, vbi eadem calamitas vagabatur. Milites Pontificis autumno in Lotaringia, & antequam illuc peruenirent, multi fluxu dyſenterico, & peſte intereunt. *Campana lib.* 12. *Hiſtor. mundi.*

Die 9. Januarij ejuſdem anni obſcurantur puncta decem Lunæ in domo 12. ſcilicet h. 2. noctis ſub longit. Venetiarum circa finem Februarij, quando fortaſſe vagari cæperunt febres catarrhales Germaniæ, ſæuire incipientes. Hinc haſce infirmitates deducimus. Verùm quia ex Hiſtorico conſtat illas in annum ſequentem protractas eſſe, & fit menſe Aprili Jnfortunarum oppoſitio, quæ Junio, & poſt æquinoctium autumnale repetit, imo diè 30. Julij anni ſuperioris Eclypſis magna Solis actionem circa finem ejuſ-

dem anni in Candia biennalem auſpicatur: ab hujuſmodi ſtellarum poſitu hæc infortunia merito deriuamus.

Quam ob rem, & qui Cometa ſit inſalubris.

DIGRESSIO NONA.

SI ſtellæ de nouo genitæ conſtant ex Galaſiæ, ſeu viæ lacteæ, quæ reliquis coeli partibus denſior eſt, primogenia, ſed magis addenſata materia, quia poſt ſe relinquunt hyatum, vt ait And. Argolus in Pandoſio ſpherico de nouis ſtellis cap. 62. Cometa, cujus locus eſt etiam æthereus; nam nullam aut minorem, quàm Luna patitur paralaxim; ex materia quoque ætherea, ſed veluti excrementitia, quoniam euaneſcit ſine vllius cauitatis veſtigio, componetur. Quod autem ea nulla alia ſit, niſi maculæ,

quæ

quæ in ſuperficie Solis modo plures; modo pauciores, aliæ denſiores, rariores aliæ [quas alij fuligines, alij fumum, & vmbram vocant, & faculas vſque mobiles] ope teloſcopij a mathematicis deprehenduntur, in vnum redactæ, proinde lumen Solis ſiſtere valentes, & reflectere a radijs Solaribus, ne fortaſſe ætheris expanſo illis infecto ſtellarum lux hebeteſcat, abſumendæ; ex eo conijcere licet, quia anno 1618. quo affulſit cometes, illarum nulla hujus luminaris ſuperficiem inficiebat, vt idem eodem lib. de Solis maculis cap. 44. ſcribit, quod quidem, ſi iterum apparente cometa, Sol prius maculatus, purus obſeruetur, compertum habendum eſt.

Dices ſi ex Solaribus maculis Stella crinita, vel caudata conſtrueretur, hanc quo majori temporis interuallo diſtat ab antecedente, eo majorem eſſe debere; quia ex maiori macularum apparatu conflatur: cum tamen quæ apparuit anno 1566. quamuis ſolum decem poſt annos ſequuta ſit præceden-

tem, Lunæ medietatem magnitudine æquaret.

Reſpondeo primo cometam ejuſdem magnitudinis in ætherea regione ſubli-miori minorem, in humiliori vero majorem videri 2. maculas intra decem v. g. annorum ſpatium genitas efſingendo corpori cometico ejuſdem magnitudinis ſufficere, ſi denſiores ſint; non ſufficere intra viginti, ſi rariores. propterea cometes anni 1566. magnus apparuit, quia non multo minorem, quam Luna fortaſſe paralaxim habuerit, & intra decem annos generatus eſt, quia ex maculis compactus craſſioribus.

Si igitur cometa, vt patet ex dictis, conſtat ex varijs Solis maculis, hac de cauſa ægritudinum popularium ſit productiuus, quia dum diſſoluitur, ex ejuſdem diſſolutione deſcendit vis quædam, quæ corpora noſtra ſubiens peruertit ſpiritus, & humores inficit, ac deprauat. Quare non in primo ejus exortu, & progreſſu, vt vulgo creditur officit. Primum enim credibile, non

non eſt illum ea vi pollere, vt junctus alterutri maleficorum infenſet æque, ac infortunæ inuicem ſe ſe aſpicientes, quod innuere videtur Ptolomeus aſſerens primas partes in judicijs Planetas, & fixa ſydera, ſecundas obtinere cometas. Deinde cum ſuperiores ideo etiam morboſum fundant influxum; vt monſtratum eſt in digreſſ. 6. quod præter luminis differentiam, tardiori ſint motu; cometes aliquando nimium velociter cietur, nec non debito citius a malefico ſeparatur. Denique ille tam exiguæ interdum eſt durationis, vt diſpareat prius, quám Planetæ maligno adhæreat. Quamobrem impuné ſpectaretur, quod repugnat obſeruationibus, quas & ſi non euidentes, nec certas eſſe fateor; ſiquidem ægritudines, quæ ab eo profectæ dicuntur, certius vitio verti debent eclypſi, & infortunarum aſpectui cumtemporaneo quippe naturæ leges ordinem, ac tempora ſeruanti, cujuſmodi non eſt cometa: attamen quemadmodum effectus a pluribus cauſis de-

dependens conſpectior fit: ſic, vbi reliquis conſtitutionis epidemiæ cauſis ſe ſe immiſcet; grauiores latiores, & diuturniores inferet ægritudines, quales fuerunt ſub finem anni 1676 exortæ febres letargho comitatæ, vt pote a Solis deliquio Superiorum Planetarum aſpectibus, & cometa deriuatæ, vt videre licet in obſer. 62. quæ ſine huius concurſu, vel non tam latè, vel non triennio, vel non vniuerſo orbe, vel non plerumque peſtilentes, neque cum tanta clade ſæuijſſent.

Hiſce ita ſe habentibus quæ de natura cometæ dicta ſunt, inanis eſt, & ridicula figuræ in nouilunio ſequente cometæ apparitionem erectio, vt dixi in obſer. 6. & fallax Genethliacorum judicium aſſerentium illum in aſcendente natiuitatis, quadrato, vel oppoſito, vel cum alio vitæ ſignificatore eſſe perniciosum. Nullus enim foret incolumis cometa tria ſolummodo ſigna percurrente; quoniam affectis, vt illi præcipiunt, etiam illis, qui ſubjacent eidem quadrangulo, vel trigono,

no, omnes periclitarentur. Numquam igitur perſuaſum habeam, vllos cuiuſcumque ſint ordinis, & conditionis a cometa quatenus horoſcopum, vel alium locum figuræ principaliorem luſtrat, ſed quatenus morbos omnium Communes affert, interfici, aut in periculum adduci. Sed miſſis his falſis Aſtrologorum placitis: errant, qui cometam putant inoxium, ſi mala ab eo intentata non ſentiunt, ſiquidem cùm vbique gentium raro noxa epidemia diſſeminetur; fit vt dum alij huiuſcæ phænomeni minas irrident; alij ab eodem in longinquis locis crudeliter plectantur, vt contingit anno 1665. vernali tempore, quando cometa menſe Decembri anni antecedentis exorto a nobis impune ſpectato, vix cumſumpto in Peloponienſi regione, & deinde in alijs peſtis increbuit.

OBSERVATIO XXIIJ.

PEſtilentia terribilis ab eodem Hiſtorico lib. 13. & 14. deſcripta Candiæ Regnum crudeliter complures men-

ſes affligit anno 1592. quæ ab inclinante menſe Martio vſque ad Lulium, magis inualuit Septembris initio miteſcens ducentis in ſingulos dies pereuntibus. Nundum exacto Auguſto viginti millia Ciuium in Ciuitate deſiderata ſunt præter eos, defecerunt in pagis ex hiſce multis ceſſante artificio fame enectis, plurimi milites, nec non plebei, nec pauci ex militiæ, ciuitatiſque ſummis Peſte interierunt, quæ menſe Octobri viſa reuiuiſcere totam hyemem ſæuijt immanius de ſuſcitatis, qui in ſupelectile quadam latebant, vt falſo creditum eſt; fomitibus. Initio peſtilentiæ exhantemata liuida peticulis majora intra tres dies, ad ſummum quatuor mortem ineuitabilem arguebant. Plurimi ex hijs, quibus ad inguina, & auris bubones erumpebant, ſaluti reſtituebantur nulli vero, quibus febres cum peticulis atque carbunculis, peracutoque capitis dolore tentabantur; ſiquidem intra idem dierum ſpatium miſerrimè peribant. Contagium potius, quàm vera peſtis hujnſmodi

calamitas credita fuit, eo quod aer præ ſe nullam infectionem tulerit.

Cum milites anno elapſo a Republica miſſos in Cretam, hæc morbis malignis afflicta exceperit, conſtetque ex Hiſtorico lib. 3. eandem jàm tum, ſi nundum lue infectam, tamen grauibus & perniciosſis ægrotationibus conflictatam eſſe: proculdubio Solis eclypſis supramemorata Planetis infeſtis menſe Januario radijs, corpore Junio conſpirantibus hanc peſtilentem plagam inflixit, non verò contagium tantum malum induxit. Porro peſtis reuiuiſcit Octobri, non quidem propter exilientia, quæ in ſupelectile tunc commota latere credebantur contagij ſeminia; at propter vires eclypſis Lunæ 9. punctorum eodem anno die 24. Iunij celebratæ circa Octobrem erumpentes, & alterius 20. punctorum antecedente anno die 24. Decembris patratæ, ſerius in actum deductas. Cumque a principio ad finem defectus Lunæ majoris horæ ferme 4. interſint, non mirum ſi tota hyeme rediuiua calamitas perſeueret.

Sta-

Statim vt ſit aduerſa cœli conſtitutio, decidit, ſed non tota ſimul Influentia morbifica.

DIGRESSIO DECIMA.

QVamquam influxus morboſus a maligna ſyderum poſitione deciduus non illico ſemper nocet, tamen ſtatim ſubire corpora, vtpote carens contrario, ex ea cognoſcitur, quod plantæ, ſegeteſque, quæ modo integræ erant, mox vredine, & rubigine infectæ conſpiciuntur. Jd eueniſſe anno 1624. menſe Maio legitur in Sennerto. Scribit enim *Prac. lib. 3. par. 2. ſect. 2. cap.* 7. de dyſenteria vnica die arborum cortices veluti auripigmento conſperſas fuiſſe, ac folia quæ deinde deciderunt ita exſiccata, vt ab igne conſumpta viderentur. Negat Author huiuſmodi malum caliditati tum vigenti adſcribendum

dum eſſe, quia aliàs calore exiſtente intentiori nihil tale contingerit, ſed auræ malignæ, id eſt influxui, & quidem meritò: quoniam ea die, quam fuiſſe decimam veriſimile eſt Mars cum extremo cornu boreali, & auſtrali Tauri Stellis fixis de natura Martis alterà ſecundæ, altera tertiæ magnitudinis hexagono radio partiliter Jouem a Regulo ſeu Baſiliſco primæ magnitudinis, per quam noxio infectum Saturno platice iunctum aſpiciebat. Eiuſdem rei luculentius ſuppeditauit documentum annis 1677. die 26. Junij, quando ſegetem pridie opimam, atque illibatam ſyderatione, quæ tam famoſa illa rei frumentariæ difficultate cum multas alias Jtaliæ Prouincias, tum Pedemontium noſtrum miſerrime alffixit, percuſſam meſſores comprehenderunt attoniti, ac defraudati; qua die ijdem ſuperiores congrediuntur iuncti ſtellis fixis omnium infenſiſſimis ſcilicet Mars propinquos Regulo ſeu Baſiliſco radijs oppoſitis partiliter percutit Iouem, quem etiam Saturnus Pallilitio iunctus in quadrato

Martis

Martis platico poſitus intuetur.

Hæc autem cæleſtis vis, quæ ſtatim delabitur: non tamen tota intra idem temporis ſpatium demittitur; ſiquidem, quam fundit cometa, ea per aliquot plures, vel pauciores dies deſcendit, prout citò, vel tardè phænomen diſſoluitur: quæ ab eclypſi deſcendit pro majori, vel minori luminarium defectione: vel horæ momento, vel duarum vel trium vel quatuor ferè horarum ſpatio defluit.

Quandiù verò duret influxus a conjunctione Planetarum partili deciduus; licèt probabiliter diuturnior ſit a fixis Aſtris, & Errantibus, qui lentiores ſunt, manans, incertum eſt; cúm non obſeruatum ſit, neque potuerit obſeruari, an arborum illarum pars mane, altera meridie; an alià ſeges in aurora, alià paulo poſt infecta fuerit. Veriſimile tamen mihi videtur, maleficos vno dumtaxat, vel altero veluti ſpiritu vnius, vel alterius horæ momento influxum expirare, quia hic sì diuturnior eſſet, nimis altè la-

te-

teque vitium imprimens, frugibus, & animantibus jacturam nimiam inferret. Neque obſtat quod diuturnam cometæ influentiam non ſequatur major pernicies, quám quæ ſtellarum malignarum influxui ſuccedit; ſiquidem plus poteſt quod de duobus Planetis ſimul junctis, licèt non per ſe ſoli, ſed vt cauſæ partiales influunt, decidit; quàm quod de ſimplici diſſolutione cometæ paulatim extenuati delabitur.

OBSERVATIO XXIV.

ANNO 1593. Autumno expugnata Palota in Vngaria Turcarum exercitus in vicina præſidia ſe recipit, plurimis militibus graui ac diuturna dyſenteria male habitis. *Idem lib.* 14.

Tres Superiores configurantur menſe Aprili ab ijſque morbus iſte caſtrenſis deriuatur. Neque obſtat temporis intercapedo nimia; nam præterquam quod Planetæ in exerendis infirmitatibus ferè imitantur eclypſes, vt aliàs videbimus, veriſſimile eſt, quod cum

Hi-

Hiſtoricis dicat malum fuiſſe diuturnum, illud multo autequam expugnaretur oppidum, ſæuiret in milites: adde quod morbus initio tacitus, ac rarus fere non obſeruatur, nec nuntiatur, niſi vbi milites, ac ciues gregatim decumbunt.

OBSERVATIO XXV.

JNeunte menſe Majo anni 1594. Comitis Mansfeldij exercitus grauibus diuturniſque corripitur infirmitatibus, quæ in territorio Duai militibus diſtributis etiam in Araſſi ciues graſſatæ ſunt. Hoc quoque anno Melita peſte, de qua Hiſtoricus lib. ſequenti mentionem facit percutitur. In Ungaria, Jmperatoris exercitus morbo valde pernicioſo vexatus ſoluit Strigoniæ obſidionem æſtate. Hyeme autem ineunte multa Rhetiæ loca, nec non Ducatus Mediolanenſis, ac Ciuitas ipſa peſtilentia fera, ſed breui percutitur: *Idem lib:* 15.

Men-

Menſe Februario ejuſdem anni Superiores ſuos permiſcent radios, & menſe Maio Mars, & Saturnus Pallilitio, & Aſellis adhærentes ſe ſe intuentur. Hinc Duai, & Araſſi ægritudines, inque milites Comitis Mansfeldij, dum erant in præſidijs diſtributi influxu morbifico ſuſcepto, deinde in caſtris in actum perducto mali diſſeminatio deducitur. Neque aliam cognoſcit cauſam Cæſarei exercitus afflictio exorta vere, & inualeſcens æſtate. Rhetiæ & Mediolani peſtilentiam Infortunæ Iulio coeuntes, ac trium Superiorum configuratio menſe Decembri ſuperueniens ſibi adſiſcunt. Melitæ lues, quoniam quo tempore illa Jnſulam adorta ſit, ignoratur; alicui harum ſtellarum poſitui tribuatur.

OBSERVATIO XXVJ.

JN iterata anno 1595. Strigoniæ obſidione æſtate, & poſt ejuſdem Vrbis, & Caſtri deditionem exercitus Chriſtianorum dyſenteria oppido pernicioſa,

ve-

vexatur, quo anno Conſtantinopolis peſte dilaceratur. *Idem lib.* 16.

Infenſorum Planetarum oppoſitioni, quæ fit Aprili Chriſtianorum militum ſtatim, & cum adhuc in Vngariæ præſidijs diſtributi ſunt, illius influxu tactorum, ſed æſtate, & in caſtris ægrotantium morbus tàm exitialis, quo multi de infimis, de Summatibus non pauci periere, debebitur. Hinc quoque, lues Conſtantinopolis ducit originem, niſi forte mauis ab ecylpſi ſolari anno præcedente die 20. Maij patrata, cujus medium finemque facile ſpectarunt Conſtantinopolitani, Bizantij peſtilentiam, & aliqua ex parte etiam morbos in Ungaria hoc, & tranſacto anno graſſatos, quia ejuſdem eclypſis decrementum cernere potuerunt Vngari, eſſe deducendos.

OBSERVATIO XXVIJ.

ANnis 1596. & 1597. in Epiſcopatu Colonienſi, Vueſtphalia, Haſſia, Comitatu *W*aldcenſi, & *W*itten-

ſtein-

ſteinenſi graſſatam eſſe ſcribit, quám fusè deſcribit ibidem, *Senn. de feb. lib.* 4. *cap.* 16. affectionem ſpaſmodicam, qua correpti manibus, ac pedibus primùm, deinde toto corpore contracto, ac poſtea rigido, ſtatim nihil antea mali ſentientes concidebant, qui plures horas jacentes velut appopletici pro mortuis habebantur nonnulli doloribus adeo attrocibus torquebantur vt de locis valde longinquis eorum ejulatus audirentur: alij epilepſia quæ nunquam curabatur, alij mentis alienatione, quam vel auditus grauitas, vel viſus debilitas, vel paralyſis perennis, ac perpetua excepit. Nonnulli veterno delirio, atque amentia tenebantur, quæ in ſtuporem immedicabilem deſijt. Tantum malum biennio ſæuijt quod contagioſum aſſerit Author, ſed perperam, ſi febre carebat, vt ſcribit *W*illis de eodem mentionem faciens de morbis convulſiuis cap. 8. quodque malé a uictu prauo deducitur.

Nam binæ fiunt eclypſes anno 1595. eodem feré tempore ſimul operationem

auſpicantes. Prior eſt Lunæ oppido magna in longitudine Coloniæ a fine Martij anni 1596. ad Julium totum ſæuiens. Poſterior Solis a medio Menſis Aprilis anni eiuſdem 1596. [quo anno ac menſe alia contigit Lunæ eclypſis ab initio Lulij ad finem Septembris infeſtans] vſque ad Octobrem anni ſequentis 1597. tam crudelem ægritudinem perennans conſpirantes ſyderum malignorum a Februario anni 1596. vſque ad Septembrem anni 1597. ſæpius repetita radiatione. Neque hic affectus ad talem cœli conſtitutionem aptius quadrare, & ex trium eclypſium vna eodem tempore conflictantium præter ſolitos Planetarum aſpectus concurſu minus terribilis morbus erumpere poterat.

Quid-

Quidnam variet temporis ſpatium, quod inter cauſam communem, & ægritudines intereſt.

DIGRESSIO DECIMA PRIMA.

DVM ſit eclypſis influxus morboſus, qui ab illa deſcendit, & ſubit corpora, rarò confeſtim, & immediatè, ſed plerumque poſt certum ferme temporis ſpatium, quod ex aſcendentis diſtantia eruitur, inchoat epidemiam conſtitutionem. Exempli gratia ſi ea ſpectatur inter orientem, & meridiem in noſtro meridiano, tribus menſibus; ſi inter meridiem, & occidentem, nouem menſibus poſtquã eadem apparuit, quod jam innuimus in Digreſſione octaua incipiunt ægritudines. Quod autem variat temporis interuallum quod inter cauſam, & effectum intercedit, illud eſt influxus morbificus, qui cum malignus ſit, & venenatus inſtar ve-

nenorum, quæ ad pauciores vel plures dies, menſes, & annos noxam differunt, tandiù latet in corpore, quandiù ſtatum epidemium differt eclypſis.

Neque luminarium defectus duntaxat, ſed quoque Superiorum Planetarum conjunctio, vel aſpectus pro varia ab aſcendente diſtantia ſerius, aut citius morbos epidemios auſpicatur. Nam cùm ijdem ob variam cœli partem, in qua congrediuntur, plus aut minus diſtantem ſortiantur orientem; etiam diuerſo tempore excitant infirmitates; quorum tamen coniunctionis, vel aſpectus figura non erigitur propter eorum motum non exactè ſupputatum; ſiquidem errore vnius, vel alterius minuti adeo notabiliter variare poteſt aſcendens, vt cum non innoteſcat in qua cæli parte coeant, prædici nequit tempus, quo ipſi, vt luminaria affecta deliquio actionem ſuam ſint inchoaturi.

Quoniam vero ex hiſce obſeruationibus apparet inter ſuperiorum congreſſum, & morbos ab eodem productos

non

non plures, quam ſex menſes intercedere; ſuſpicari licet eclypſis influentiam quia vel per annum deliteſcit in corpore, priuſquam inchoat ſtatum epidemium, duplo minus promptam, quàm ſuperiorum exiſtere. An autem influxus ſuperiorum præſtet promptitudine influxui eclypſium, ex eo quod luminarium deliquia ſolummodo ſuperum; ſuperiorum coitus vtrumque emiſpherium afficiunt, alijs iudicandum relinquo. *Hoc certum eſt eſſe admirabilia cauſam ſcilicet habere abditam, quæ a cælo proueniunt.*

OBSERVATIO XXVIIJ.

IN Appendice hiſtoriarum mundi Campanæ mentio fit peſtis Conſtantinopolim immaniter affligentis anno 1598., & in epiſtola dedicatoria Typographi in tractatu de peſte Cæſaris Mochæ conſtat Pedemontium ab eadem conflictatum anno 1599.

Anno 1597. ſub finem Decembris, & anno ſequente die decima Martij In-

fortunæ radio quadrangulo ſe intuentur, quo etiam menſe die ſexta accidit magna ſolis eclypſis effectum ſuum circa Auguſti menſem ſub longitudine Conſtantinopolis auſpicans. Quocumque anni tempore hæc Ciuitas ceperit peſte flagrare, tali cœli conſtitutioni debetur malum Biſantij. Pedemontij verò infortunium ſibi vendicat Lunæ defectio menſe Februario anni 1599. celebrata conſpirantibus ſuperioribus Ianuario, & Martio configuratis, nec non eclypſi Solari modo memorata horarum duarum, & minutorum aliquot, proinde biennio, & vltra ſæuiente.

OBSERVATIO XXIX.

MAleferiatorum ſceleſtorumque malitiam perfidiamque eo vſque progreſſam eſſe ait *Senn. de feb. lib.* 4. *cap.* 2. de peſtilentiæ cauſis, vt per vnguenta, & pulueres ſparſos peſtilentiam diſſeminarint Vratislauiæ & Francoſteinij in Sileſia anno 1606.

Verum hæc potius eſſe nugas, Solis de-

deliquium ingens die 12. Octobris h. 2. 36. poſt meridiem accidens anno 1605. propterea in binos annos ſequentes noxam tranſferens, oſtendit.

OBSERVATIO XXX.

SEnnertus *de feb. lib.* 2. *cap.* 20. *& lib.* 4. *cap.* 9. de cauſis febris malignæ, & peſtilentis mentionem facit febrium quartanarum intermittentium toti Germaniæ communium Wittembergæ tam familiarium, vt nulla domus reperiretur; in qua æger aliquis non decumberet anno 1616. poſt magnum, & inſolitum æſtum, ac tot interdum, vt non ſupereſſet qui febricitantibus miniſtraret; quamobrem author innuit fuiſſe contagioſas, ſed vix centeſimum quemque febricitantem mortuum eſſe.

Non æſtiui, & autumnalis aeris conditio haſce ægritudines peperit; ſiquidem alijs etiam anni temporibus quartanæ vulgares generantur, ac ſæpe præcedit æſtas juſto feruidior rarò hiſce febribus ſæuientibus; imò cum excitan-

tur, non ſemper antecedit calor æſtati debitus: ſic anno 1692. hìc æſtate vernali tempore ferè ſimili adhuc tertianis graſſantibus exortæ ſunt febres quartanæ neminem illorum, qui eas paſſi erant, aggreſſæ. Quare Sennertus videns has febres neque ætati, neque temperamento congruere, opinatus eſt non ab ſolo autumnali tempore, ſed aliquo quoque Saturni influxu eſſe productas. Verùm & ſi talis affectio a Marte, ac Saturno cum ſtellis fixis de eorum indole exeunte Majo in Tauro conjunctis tantum deducenda ſit: tamen ijdem non quatenus coeunt in ſigno melancholico, ſeu frigido, & ſicco, qualis Aſtrologis Taurus eſt; cum ſignis cœleſtibus nulla ſit ſignificatio; ac nulla pars cœli [id enim corrumperetur [hiſce, & ſimilibus qualitatibus prædita ſit, haſce febres generant; ſed eorum influxus, quatenus dum turbat miſtionem ſanguinis, atram, & auſteram potius, quam aliam ejuſdem partem in efferueſcentiam febrilem concitat.

OB-

OBSERVATIO XXXJ.

COnſtat ex *Sennerti Prac. lib.* 1. *par.* 1. *cap:* 21. Poloniam a peſte percuſſam anno 1622. tam grauiter, vt ea extinctis cranium rumperetur. Sub ejuſdem anni finem, & anno ſequente poſt obſidionem Monſpelij graſſata eſt febris admodum maligna, ex qua media feré pars ægrotantium interibat. *Riuer. Centuria* 1. *obſer.* 15. *&* 42.

A fine anni 1621. ad totum annum 1623. eclypſis magna Solis patrata menſe Majo anni 1621. Poloniæ & Galliæ fit moleſta, & exitialis conſpirantibus infortunis menſe Februario aſpectu quadrato ſe reſpicientibus, & Julio anni 1622. congredientibus.

OBSERVATIO XXXIJ.

VUittembergæ, & in vicinis oppidi dyſenteria maligna non paucos de medìo ſuſtulit anno 1624. quæ a menſe Majo vſque ad autumnum graſ-

ſata

ſata eſt vere, & æſtate æſtu vigente, continuo. *Senn. prac. lib.* 3. *par.* 2. *ſect.* 4. *cap.* 7. *de dyſenteria.*

Luna digitos vndecim paulo ante Solis ortum die 15. Aprilis anno ſuperiori hebetatur, vbi poſita anno fere poſt nocere ſolet. Anno autem 1624. Martio, & Aprili tres Superiores, qui etiam inſolitum illum in Germania calorem, in primis Juppiter diù cum Regulo immoratus produxere, configurantur. Jn hujuſmodi cœli conſtitutionem hæc affectio, cum quocumque anni tempore, & ſine primarum qualitatum exceſſu morbi vulgares erumpant, procul dubio rejicienda eſt.

OBSERVATIO XXXIIJ.

EXercitum Regis Catholici verrucam anno 1625. obſidentem adeo minuunt infirmitates, vt militibus multis, eorumque Ducibus, Præfectis, atque Tribunis fato functis, Imperator etiam grauiter ægrotans, vt ſcribit Joannes Petrus Capriata lib. 9. ſoluat

ob-

obſidionem ; ad quam dum niſi ære militari ſoluto milites Comitis Manſfeldij recuſant accedere; Cremonæ vbi peſtilentia graſſabatur, diuertunt incolumes, ſicuti videre licet apud *Sennertum*, *prac. lib. 6. par. 3. cap. 3. de contagio*.

Hoc malum induxere infortunæ menſe Majo ſe ſe opponentes fere centraliter Saturni malitiam augente Regulo. Cremona plectitur grauiori plaga quàm exercitus ob majorem illius diſpoſitionem, vel quia conſtellatio magis cum Cremonæ ciuibus, quàm cum exercitu diſſidet.

Jbi Germanorum inclytum nullus in domo infectas diuertentium contagio polluitur; eo quod cauſæ communi peculiariter inſubribus infeſtæ, illi non erant obnoxij.

In-

Influxus morbifici diù, aliquandiù ſolum contagij peſtilentis venenum latere poteſt in corpore.

DIGRESSIO DECIMA SECVNDA.

QVoniam influentia morbifica in hominum corpora ſtatim inſinuata rarò illicò, ſed multo ferè poſt tempore prodit, & ægritudines inchoat: illius virus ibi tandiù deliteſcere fatendum eſt: etsí verò aliquibus impoſſibile videatur, vt venenum, qualis eſt influxus morbida vis, hominibus inimicum non extemplo naturam irritet; ſed ſine vlla mox, & per initia actionum læſione manifeſta in corpore diù quietum manere queat, priuſquam morbum exerat: de hoc tamen non dubitabunt illi, quibus canis rabidi virus peſtilenti non minus noxium, cujuſmodi ſunt etiam alia venena tum na-

naturalia, tum factitia, tandiú ac diutius antequam noxam aperiant, occultari poſſe, notum eſt.

Eadem ratione, qua ſyderum influxus morbificus, etiam contagij peſtilentis, ac maligni ſemina in corpore latere aliquandiú ſentiunt plerique, & proferunt exempla quorundam qui metu contagij vertentes ſolum in loco ſano multo poſt tempore periere. At quamuis contagionis ſemen aliquandiu latere poſsè negandum non ſit; tamen documenta illa in dubium vocanda; ſiquidem illi minime contagij, ſed potius influxus maligni vi in loco ſano in actum deducta in peſtem inciderunt. Non enim in contage priuata maligna, vel peſtilente familiares gregatim vt videre eſt in exemplis allatis in Digreſſione vigeſima (niſi huiuſmodi infectio referenda ſit aſſiduæ domeſticorum conſuetudini] ſed ſucceſſiue longiori tempore intercedente decumberent, ſi non plures dies ſolum, ſed quoque hebdomadas, menſeſque, vt legitur in *Senn. de feb. lib.* 4. *cap.* 3. de

con-

contagio contages occultaretur. Neque vt jdem *lib. eodem cap.* 16. ſcribit, illi cum ægris affectu in XVIJ. Obſeruatione deſcripto conuerſati, in quibus poſt duodecim, aut plures menſes morbus ſe ſe exeruit ex contagio, ſed cauſa communi tandiu deliteſcente, eodem affectu quia non erat contagioſus correpti ſunt.

OBSERVATIO XXXIV.

NArrat *Sennertus de feb. lib.* 4. *cap.* 1. de peſtilentiæ natura peſtem numquam plures Uvittembergæ, & in vicinia occidiſſe, quám anno 1626. æſtate tota, & autumno ſæuientem.

Mars eodem anno die prima Aprilis Pallilitio junctus, & naſcens ſub Polo Vuittembergæ cum extrema mandibula ceti fixa ſecundæ magnitudinis, indolis Saturniæ, & in Saturnum orientem cum Cauda Leonis primæ magnitudinis peſtifera, quadratum proijciens radium, oſtendit tantam perniciem non in caſtris ob vitæ militaris incommo-

da,

da, vt idem ibidem inquit, originem habuiſſe; neque hinc per contagium Vuittembergam, & ejus prouinciam delatam eſſe.

OBSERVATIO XXXV.

EX Riuerij obſeruationibus communicatis 19. & 37. conſtat in Monſpelium, & Galliam vniuerſam ſæuijſſe annis 1628. 1629. 1630. peſtilentiam, quam Petrus Joannes Capriata hiſtoriæ *lib.* 11. *&* 12. ſcribit in Italia tum militum, tum populorum miſerandam ſtragem edidiſſe ab anno 1629. ad annum 1631. viuuntque hodie adhuc aliqui ex Pedemontanis, qui ea infecti fuere, quique referunt in complurimis oppidis, pagiſque plus dimidium habitantium deſideratum fuiſſe.

Plerique hanc luem ex Germania in expeditione ſuſcepta aduersùs Mantuam translatam eſſe ferunt in Italiam, Galliamque Nonnulli morbos vulgares, bella & calamitates omnes; quæ ab anno 1619. ad illa vſque tempora Mun-

dum

dum percuſſere, cometæ illi inſigni, qui ſub finem anni 1618. affulſit acceptas referendas eſſe ſcriptitant. De hoc Argolus de cometis in Pandoſio ſpherico, Petrus Joannes Capriata lib. ſupracitatis, Mocha in tractatu de hac peſte, & Riuerius Praxeos medicæ lib. 17. cap. 1. de febri peſtilenti ſermonem habent.

Verùm cum inter peſtem hanc, & cometæ apparitionem nimia ſit temporis intercapedo, ab eaque quidem infirmitates circa annos 19. & 20. exortæ deriuari queant; hæc peſtilentia a proximioribus cauſis deducenda eſt, ſcilicet ab eclypſi Lunæ magna die 20. Ianuarij anno 1628. patrata, & poſt 4. circiter menſes infortunium inchoante; tum trium Superiorum aſpectu Aprili, & infortunarum congreſſu Septembri contingente toto anno & vltra affligentibus, tum anno ſequente Superiorum iterata configuratione Februario, & Iunio Maleficorum oppoſitione, qui anno 1630. Majo ſe intuentes quadrato radio, Octobri coeunt, & Fe-

brua-

bruario anni 1631. quadrangulari aſpectu Iouem intuendo ſe ferientes continuandæ calamitati preſto ſunt. Quod ſi quis velit hoc malum a defectione Lunæ ſupramemorata inchoari anno 1628. ab ſtella verò in pectore Cigni anno 1600. de nouo genita, & anno 1629. euaneſcente continuari: conſpirantibus ijſdem maleficorum aſpectibus, cum eo non contendam. Nam cum hujuſmodi phænomena eadem ferè materia, qua cometæ, qui quoque infenſi ſunt, componantur: aliquid etiam abditi, & naturæ noſtræ aduerſi, quod ſpiritus, & ſanguinem inficiat, ex eiſdem, dum diſſoluuntur, deſcendere, conſentaneum eſt.

OBSERVATIO XXXVJ.

SEnnertus *prac. lib. 6. par. 2. cap. 7.* de præſeruatione, & curatione morborum malignorum ab interno humorum vitio ortorum, ſcribit multos in peſtem incidiſſe, cum nec minima ſuſpicio adeſſet, eos cum vllo peſte af-

fecto conuerſatos fuiſſe, ſed ex terrore, & ira ea correptos anno 1634. quo anno quoque menſe Julio frequentes fuiſſe febres tertianas nothas valdè malignas refert cap. de ſcorbuto.

Sol quinque digitos obſcuratus anno ſuperiore die octaua circa horas 22. horologij, proinde in fine 1633. ſeu principio anni 1634. juxta ea, quæ dicta ſunt in Digreſſione octaua operari incipiens, ac terni Superiores configurati menſe Martio hanc peſtem, & reliquas infirmitates facilè produxerunt.

OBSERVATIO XXXVIJ.

VVittembergæ, & in vicinis locis plurimos ciues, & milites hybernantes febribus malignis, ac peſtilentibus Scorbuto coniunctis correptos & mortuos eſſe menſe Ianuario, & ſequentibus annis 1636. *ait idem prac. lib.* 3. *par.* 5. *ſec.* 2. *cap.* 4. *de ſignis ſcorbuti.*

Menſe Octobri anni præcedentis tres ſuperiores configurantur, & infortunæ Decembri quadrato radio ſe reſpiciunt.

OB-

OBSERVATIO XXXVIIJ.

ANno 1637. peſtis graſſatur immaniter æſtate Uuittembergæ, vt in vita D. Sennerti Medici celeberrimi legitur, qui ea correptus exceſſit è viuis a tot doctrinæ ſuæ teſtibus non ſatis laudatus.

Jnfortunis menſe Martio aſpectu quadrato ſe ferientibus, initio Maij Superiores configurantur in Saxoniæ, & hominis in terra noui perniciem.

OBSERVATIO XXXJX.

EX Riuerio obſer. 46. centuriæ ſecundæ longiſſimæ tertianæ vigebant autumno, a quibus multi liberabantur ſumentes in declinatione poſt phlebotomias, & purgationes frequenter iteratas per triduum drag. j. theriacę cum aqua plantaginis anno 1638.

Haſce febres ſi poſt Auguſtum menſem erupère, excitauit Saturni & Jouis aſpectus quadratus ſub ejuſdem men-

ſis finem contingens, quando cum Joue naſcitur ſub polo 43. dexter humerus Herculis; ſin prius, produxit ſuperiorum configuratio die vltima Februarij patrata.

OBSERVATIO XL.

IDem obſeruatione communicata 63. laterales dolores, qui plurimos menſe Februario anni 1641. de medio ſuſtulere, a frigore autumni antecedentis inſolito deduxit, at fruſtra.

Nam anno 1639. die prima Iuni fit Solis eclypſis magna in meridiano Monſpelij inter medium cœli & occidentem, quæ cum poſt ſeſquiannum circiter, vt vult Andreas Argolus in Pandoſio ſphærico, nempe inter anni 1640. finem & principium anni ſequentis operari incipiat: ab hac Luminarium ſynodo eclyptica has pleuritides deriuabo. Porro ſiquidem Octobri anni 1640. fit maleficorum congreſſus, & Ianua-

rio

rio anni ſequentis Mars Iouem quadrato radio inficit a ſextili Saturni platico exaſperatus, hinc hanc affectionem concitam dicito; ſi fortè ſerior eclypſis videatur, quàm tamen alibi jam dudum nocuiſſe veriſſimile eſt.

OBSERVATIO XLI.

IN Caſtris Regis Angliæ, & Comitis Eſſexiæ Redingam regio præſidio defenſam obſidentis anno 1643. ineunte vere febris peſtilens exorta eſt, quæ deinde etiam vicos, & oppida, per quæ milites vtriuſque exercitus diſpoſiti cateruatim præcipuè pedites ægrotabant, inuaſit latè diffuſa tàm frequens, vt ex familia quam adoriebatur, vix ſupereſſet, qui laborantibus miniſtraret. Hunc morbum, quem æqualis ſymptomatum ſæuitiæ ſtrages comitata eſt; quo tam juuennes quám ſenes, tàm robuſti, quàm valetudinarij correpti interibant: qui circa mediam æſtatem [quando Nouiomagi febris maligna, ac peſtilens, deinde peſtis ipſa ſæuiebat]

inualuit cum exanthematum & bubo-
num eruptione, funerumque frequentia,
qui durante Canicula non vti febris, ſed
veluti mitior peſtis tractabatur, & au-
tumno vergente de ſolita ferocia re-
mittebat, atque incumbente hyeme
deſijt eleganter deſcribit *Willis de feb. cap.* 4. eundem conſtitutioni vernæ mul-
tum humidæ, tum æſtati calidiori de-
inde exercituum ſqualori attribuens.
Anno eodem a Sereniſs. Principe Tho-
ma a Sabaudia expugnationem oppidi
Frini caro infirmitatum exercitus ſui
prætio comparatam eſſe *refert Bruſ. Hi-
ſtor. pag.* 140. ſine anni temporis noti-
ficatione, quod tamen captum fuiſſe
exeunte æſtate de milite quodam qui
ejuſdem obſidioni intererat, quondam
audiui.

Anno ſuperiore Luna cum multa mo-
ra in tenebris deficit lumine die 4. Apri-
lis; ſed cum morbum exerat in An-
glia ſub finem anni: hinc hæc lues
non deriuatur, ſed a ſuperiorum
configuratione, præcipue vero a co-
niunctione magna, cuius malignus in-
flu-

fluxus non diu in corporibus deliteſcens erumpit in actum ineunte vere, peſtilentem febrem excitans, quæ æſtate media inualeſcit, eo quod eclypſis lunaris cum magna quoque mora in tenebris iterum celebratur menſe Octobri anni ſuperioris poſt 9. vel 10. menſes graſſari incipiens; a qua adjunctis errantibus inſalubribus identidem ſe intuentibus, quin ægritudines copiarum Trinum obſidentium, & ex non Nouiomagi calamitas profecta ſit, non dubitandum eſt.

De cauſa durationis ſtatus epidemij.

DIGRESSIO DECIMA TERTIA.

Conſtitutionem epidemiam eatenus durare, quatenus a contagio fouetur, Authores ſentire ex eo conijcere licet, quod contagionis expertes eos morbos dicunt, qui non diù graſſantur, eiuſmodi fuiſſe ferunt illum apud *Foreſtum lib. 6. de feb. cum morbis epid. obſer. 2.* qui vnico ferè tempore omnes inuadens diebus ſeptem vel vndecim tranſactis neminem amplius aggredi viſus eſt: quod quidem veriſimile videtur; cum ipſa priuata contagio ad menſes duos vel tres, cuius exempla præbentur alibi protrahatur, qua cuncti feré domeſtici ſimul, & ſucceſſiué inficiuntur. Ad ejuſdem ſtatus epidemij durationem etiam fuere occaſionem probabile eſt;

ſi.

ſiquidem in tali conſtitutione in primo ad ægros ingreſſu hodie illum ex ira, cras hunc ex terrore, alias alium ex labore [quæ tamen non occaſionem ipſi, & fortaſſe quoque Medici nonnulli, ſed cauſam ægritudinis popularis arbitrantur] in morbum incidiſſe intelligimus.

Uerùm cum multi vulgaribus morbis ingruentibus ægrotent, qui cum nemine laborante conuerſati ſunt: tum febres epidemiæ diù ſæuiant non raròſine contagio, vt ait *Senn. de feb. lib.* 4. *ca*. 1. de peſtilentiæ natura, quales fuerunt illæ perquam malignæ, quæ a fine anni 1676. ad annum 1679. & vltra vniuerſaliter graſſatæ ſunt, ex quibus teſtari poſſum, me numquam toto triennio hìc [hìc inquam, quia in alijs locis non pauci domeſtici turmatim decumbebant] de eadem familia duos ſimul aut ſucceſſiuè febricitantes, quamuis in ſingulos dies ſupra viginti circiter inuiſerem, proinde neminem contagione infectum habuiſſe; tum peſtis ipſa vt monſtrabitur in digreſ-

greſſione vigeſima prima, non ſemper ſit contagioſa: cum multi quoque ſine vlla occaſione decumbant, vt legitur *epid.* 3. *ſect.* 3. vbi Author ait peſte illa alios cum alios ſine occaſione correptos: neque contagium, neque occaſio ſtatum epidemium continuabunt, ſed cauſa communis: etenim cum ille pro raritate vel frequentia ægrotantium, pro breuitate, vel longitudine ægritudinum breuior ſit, vel diuturnior, illiuſque breuitas, vel longitudo a minori, vel majori influentiæ morbificæ impreſſione dependeat; eadem proprie, per accidens vero contagium, & occaſio; ſiquidem aliquis de ſano loco profectus poteſt infici, & aliquis error interea committi, breuiorem, vel longiorem efficiet epidemiam conſtitutionem.

Quoniam vero cur illi, qui in ciuitate, vel regione aliqua eodem conſtellationis tempore non omnes ſemper nimirum de cœlo tacti mox ſimul, ac primis diebus epidemiæ conſtitutionis morbo corripiuntur; ſed alij poſt dies plu-

plures, & hebdomadas, alij poſt menſes, & annos ægrotant, in cauſa ſit influentiæ morboſæ virus, quod quorundam venenoſum inſtar, quæ priùs quam nolent, aliquandiu, diuuè, vt in digreſſione 12. dictum, latent in corpore; in alijs poſt dies plures, in alijs poſt menſes, & annos pro influxu affectorum reſiſtentia varia erumpit in actum; hæc eadem etiam durationis ſtatus epidemij cauſam ſuſtinebit. Quamobrem pueri, ſenes, valetudinarij, quia ſtatim cedunt cauſæ communi; & citius decumbunt, epidemiam conſtitutionem auſpicantur, quàm ij, qui minus debiles ſunt, adaugent; robuſti raro, qui, quia ſerius laborant, eandem perficiunt, paulò minus validi ejuſdem ſtatum feré conſtituunt. Verùm quamuis hæc rationi congruant; perpetua tamen non ſunt; ſiquidem, præter alios, apud Syluium tractatu 10. robuſtiores, durioreſque inuito firmo corporis habitu citius laborarunt, fortaſſe ideo quia grauius percuſſi ſunt; ſed ſi robuſti, quia aliquando

quando grauiori plaga plectuntur, citius ægrotant; poterunt quoque imbecilles, ſi impreſſione cœleſti leuius afficiantur tardius laborare, & epidemiam conſtitutionem abſoluere.

OBSERVATJO XLIJ

WILLIS de feb. cap. 13. dum Dominum Henricum Sayer Medicum perquam eruditum, & in praxi fælicem admiratione proſequitur, quod peſte infectos tam pauperes, quàm diuites intrepidè inuiſeret, vlceraque virulenta propriá manu pertractaret atque adeò ſedula licèt periculoſa opera ægrotantium plurimos ſanaret, obitér de peſte Londini, & aliorum locorum graſſatæ anno 1645. ſine anni temporis ac durationis notificatione meminit. Eodem anno circa autumnum Caneæ præſidium ægritudines exitjales adeo imminuunt, vt Veneti ejus recuperationem affectent. *Bruſſonus pag.*

Die 10. Februarij eiuſdem anni Luna toto fere priuatur lumine ad meridia-

ridianum Londini h. 9. 11. ad meridianum Candiæ h. 11. 11. poſt meridiem in grad. 23. Leonis. Hic Lunæ defectus, qui in Anglia a menſe Majo ad Auguſtum, in Candia verò a Iunio vſque ad Septembrem infirmat, conſpirante infortunarum quadrata radiatione menſe Majo contingente, quæ vel toto anno extendere potuerit malum, & Londini luem, & Candiæ ægrotationes accerſiuit.

OBSERVATIO XLIIJ.

SVB Menibus Brugarum Flandriæ incollumes colliguntur Hiſpani Gallis numero inferiores Auguſto circiter anno 1646. qui æqué, ac illi ob æſtiui caloris exceſſum in dies deficiebant. de Bruſo pag. 170. verum aberrat Hiſtoricus quoniam morbi caſtrenſes, & populares in hoc differuut, quod illi caſtra & exercitus corripiunt, hij pagos, & ciuitates inuadunt; & popularium cauſa ſit ineuitabilis, qualis eſt ſolus ſtellarum poſitus, exceſſus ve-

rò primarum qualitatum euitari poſſit vt innuitur Digreſſ. I. Gallorum & Hiſpanorum copiæ ſupramemoratæ non diminutæ ſint á calore æſtiuo à Caniculæ, & Regulo menſe Auguſto duplicato earum clades in ſuperiores menſe Junio configuratos reijcienda eſt, neque dices futurum fuiſſe, vt minor illarum ſtrages ſequeretur ſine caloris nimij exceſſu: quoniam ſublunaria ad ægritudinum vulgarium generationem nihil faciunt, cum illæ tam temperato, quám intemperato anni tempore, tam ſicco, quàm pluuioſo cœlo & ſine diſcrimine ætatis, ſexus, temperamenti, & locorum graſſentur.

Debetur hic morbus Superioribus inter ſe Iunio configurati Auguſto graſſantibus, quando calor æſtiuus à canicula primum, deinde a Regulo ſeorſum & coniunctim duplicatur; ſiquidem ab illa, quæ canis maior, & ſerius etiam dicitur fixa primæ magnitudinis ac de lumine Iouis, & Martis valde calorifica, quæque hoc vertente ſæculo permeat gr. 10. Cancri; ſed ob latitudi-

titudinem auſtralem &c. oritur cum ſole coſmicé in gr. 10. Leonis verſante quibus reſpondet dies 3. Auguſti ſub ſolo noſtro gr. 45. ferè eleuato, cum citius emergat vbi minus, tardius vbi plus idem extollitur verbigratia Romæ die 30. Iulij, Pariſijs die 6. Auguſti cum ſole oritur; ab illa inquam, æſtiui caloris exceſſus ſumit initium, vbi ſol ſubit quantitatem lucis orbis Caniculæ, quæ gr. 7. 30. extenditur cum gr. 30. Leonis nempe die S. Annæ, qui die 21. Auguſti deſinit, vbi ſol per quantitatem luminis ſui orbis, qui gr. 17. 30. extenditur Authore Argolo in Pandoſio ſpherico ab illa recedit. Verùm cum vltra procedet calor æſtati immodicus, & regulus Cor Leonis, & Baſiliſcus quoque dictus eàdem magnitudine ac natura qua canicula præditus qui nunc temporis reperitur in gr. 25. & vltrà Leonis, quibus reſpondet dies 18. Auguſti oriatur coſmice cum Sole vbique locorum quippe omnis ferè latitudinis expers, & incipiat ardeſcere diebus fere 8. ante exortum ejuſ-

dem

dem coſmicum cum Sole circa diem nempe S. Laurentij, deſinatque feruere diebus fere 18. poſt die ſcilicet 5. Septembris, cum Sol per quantitatem luminis ſui orbis, vt de ſirio dictum, ab illo egreditur æſtus, qui a die S. Annæ ſub altitudine poli noſtri ad diem S. Laurentij modum excedit omnis ſirio acceptus referendus eſt: qui a die S. Laurentij ad diem 21. Auguſti torrefacit, partimCani majori debetut, partim Cordi Leonis: reliquum ſolus ſibi vindicat Baſiliſcus; qui ardoris exceſſus tam a ſirio quàm a Regulo productus ſic adhuc intenditur, ſi planeta quis, præſertim Iuppiter & Mars Soli præſto eſt, quemadmodum adhuc extenditur, ſi per Septembrem alteruter Solis veſtigia ſequitur; etſi paulatim fructibus autumnalibus coquendis vtilior ſit, quàm corporibus moleſtus. Scio me hic hac de re ſcribendo a propoſito declinare; ſed anni tempus, quo ſupramemoratæ copiæ deſiderabantur, veniam merear, æſtus canicularis, & canicolari ſimilis mentionem faciendi dedit occaſionem.

Mor-

Morbus caſtrenſis & popularis inter ſe non differunt.

DIGRESSIO DECIMA QUARTA.

CVM Nego, ſqualores exercitus, vt apparet ex Digreſſ. Secunda, morbum vulgarem generare; nego pariter eoſdem caſtrenſem inducere, eo quod hi morbi inter ſe non differunt: non differunt autem quia vterque eandem agnoſcit cauſam, quod videre eſt in hiſce obſeruationibus, & quia eiſdem curantur remedijs. Neque putes milites ſaltem grauioribus quàm ciues affici ægritudinibus ob vitæ militaris incommoda & fætores exercitus: quoniam plebs ſuos etiam patitur manes, cum ex ea alij vitam degant miſeram ſemper indigentes; alij aſſiduis laboribus fædiſque implicati intra vrbes caſtris immundis non minus graueolentes.

Vide quod ex *Iul. Palm. ſcribit Senn. lib. 6. prac. par. 3. cap.* 2. de morbis malignis ab aeris vitio, de Lutetia Pariſiorum.

OBSERVATIO XLIV.

EX Benedicti Siluatici reſponſo 15. conſtat palatam eſſe febrem in Ciuitate Lucenſi ejuſque territorio, atque in Hetruria grauibus ſtipatam ſymptomatis magis in robuſtos, quàm in debilibus ſæuientem anno 1648. Huius affectus cauſam reijcit Author in aerem valde frigidum humidumque ab Autumno anni præcedentis ad Auguſtum perdurantem, idque ex eo probat quod mentium incolæ leuius quàm planitiù ægrotarent. Verum ſi valeret hæc ratio magis vitioſis ſuccus quàm bonis ſcatentes huic febri ſuccubuiſſent. Quare a trium Superiorum concurſu die 8. Julij contingente hujuſmodi affecti petenda eſt.

OBSERVATIO XLV.

WIllis *de feb. cap.* 15. tractans de variolis ſic habet: olim circa annum 1649. rarior erat hic morbus: nihilominus plures interibant. Eodem anno Comes Auucort obſidione Cambrai ſoluta exercitum varijs, contagioſiſque ægritudinibus afflictum, ac diminutum Galliæ confinibus reſtituit. *Bruſon. pag.* 309. *qui pag.* 326. refert peſtem in Illirij regiones in primis Dalmatiam ſæuijſſe crudeliter. Hoc pariter anno Ardenna ex varijs excurſibus cum exercitu in Hiſpaniam citeriorem, vulgo Cataloniam, nihil aliud reportauit, niſi peſtilentiam, quæ Prouinciam fere totam depopulata eſt. Ex eodem pag. 315. Hiſpani anno 1651. Gallicæ ſeditionis beneficio Barcellonæ recuperationem affectant, ad diſcrimen iſtud inuitati a ciuitatis calamitatibus, vbi miſerabilem edente ſtragem peſtilitate plus quadraginta millibus deſideratis vix quadringenti in-

columes, & ad arma idonei numerabantur pag. 404. in vrbem tamen vndè euitaturi malum ciues multi diſceſſerant, reuertuntur menſe Iulio: ex quo apparet biennalem fuiſſe luem. Anno 1650. in obſidione Populoniæ, vulgo Piombin vigente æſtatis ardore tam perniciosæ febres inceſſere milites, vt longè plures vi morbi, quám hoſtilium enſium, tormentorumque ictibus ſternerentur pag. 359. Ter malefici intra ſex menſes a Decembri anni 1648. ad Iunium anni 1649. quadrato radio ſæuiunt cum fixis exitialibus juncti. Porro eorumdem oppoſita radiatio eadem, anno menſe Decembri ſuccedit exaltans, fouenſque calamitates, quas excipit erronum peſſimorum quadrata configuratio anno 1650. die 5. Martij multis de eorum natura fixis aſtris illos laceſſentibus, qui deinde trino radio platicè intuentes Iouem die 29. Iulij conjunguntur. Quatuor inſuper eclypſes Lunæ hiſce annis populis præcipuè occidentalibus infauſtas inuenio omnes, præter vltimam, tranſactis

poſt 11. & 12. fere menſibus infeſtantes. Prima contingit anno 1648. menſis Decembris die 28. paulò ante Solis ortum, in qua luminare toto propemodum lumine priuatur. Secunda pariter in occidente ſeu paulò ante Solis ortum anno 1649. die 24. Maij accidit, Luna penitus tenebris immerſa. Tertia patratur anno eodem die 7. Nouembris ſub ipſum ferme Solis ortum ſub Catalanniæ meridiano, in qua Lunæ digiti 21. obſcurantur. Poſtrema Lunæ defectio celebratur die 15. Maij paulò poſt Solis occaſum, in qua ex duodecim octo partes hebeteſcunt, cujus medium in longitudine ejuſdem regionis degentes ſpectare potuerunt. Ab hiſce Lunæ deliquijs totque aduerſis conſtellationibus & militares affectus in obſidione Cambrai, & Populoniæ neceſſario etiam finitimorum populorum, Variolæ Londini, Dalmatiæ, Illyridis, atquæ Hiſpaniæ peſtilentia ſuam ducunt originem.

OBSERVATIO XLVJ.

DUncherchen præſidium peſte, ac dyſenteria torquetur immaniter, ex qua anno 1652. intra IJ. dierum ſpatium plus mille milites deſiderati ſunt. *pag.* 450.

Quo anni tempore inuadat hoc malum, neſcitur ex Hiſtorico: propterea ſi antequam noceat eclypſis infra deſcribenda, illud erupit, quadrato malignorum Planetarum aſpectui die 21. Aprilis contingenti, dum Saturnus cum Hercule violento dici commoratur, tribuendum eſt.

OBSERVATIO XLVII.

EX ijs, quæ refert idem Hiſtoricus *a pag.* 456. *ad pag.* 498. apparet circa initium anni 1652. peſtem inceſſiſſe Poloniam, eamque etiam anno ſequente atrociter exerccuſſe: quo anno in expugnatione Rocroe Hiſpani milites feré octies mille ex morbo deſiderati

rati ſunt: ſequenti anno ſcilicet 1654. peſtilentia Coppenhaginam exagitat; pagina autem 538. & ſequenti Moſchorum Caſtra, & Moſchouiam eàdem correptam ſcribit idem Hiſtoricus. Hoc anno quoque circa autumnum Londini variolæ latiſſimæ diſſeminantur ex *Villeſio de feb. cap.* 15.

Anno 1652. die octaua Aprilis h. 1. 10. ante meridiem Daniæ, aliàs citius, aliàs tardius pro differentia longitudinis regionum Sol haud mediocre deliquium patitur. Jncipit circa autumnum in Polonia ſæuire peſtis, talem dilationem exigente ſitu eclypſis, cujus horæ durationis binæ biennale [ab anni enim fine 1652. ad finem anni 1654. anni duo interſunt) intulere infortunium vagum, ac ſucceſſiuum; ſiquidem poſtquam toto anno 1653. in Polonia graſſatum eſt, alia regna peruadit. A magnitudine eclypſis, quæ in plaga Septentrionali major eſt, quàm quæ Romæ notatur ab Argolo; a Synodo maleficorum Auguſto eiuſdem anni, ab eorundem quadrato anni 1653.

Ianuario factis, & alijs infauſtis configurationibus mali magnitudo dependet. His adde eclypſim Lunæ oppido magnam anno 1653. die 14. Martij occidentalibus magis conſpicuam anno ſequente infeſtantem, quæ Danię luem quippe ſine anni temporis notificatione nunciatam, vel excitauit vel exacuit. Adde triſtium Erronum congreſſum Septembri anni 1654. patratam; quæ forſan ſeorſum Londinenſes variolas peperit, & Moſchouiæ peſtem protraxerit.

OBSERVATIO XLVIIJ.

AMeſterlodamum anno 1655. labe peſtilentiali inficitur; nam Thomas Barbetius in ſuo tractatu peſte, aliquot habet lue correptorum, & interfectorum a menſe Majo ad ſeptembrem ejuſdem anni obſeruationes. Quo anno quoque idem malum inceſſit Melitam, & ſequenti Sardiniam, atque Neapolim, vbi inclinante Majo inualeſcit, totoque penè regno diffunditur

in plebejos, diuites, nobileſque ſæuiens adeò immaniter, vt in dies ſingulos octingenti Ciues & intra annum biſcentum, & viginti ferè millia Jncolarum deſiderata ſint. Varij varia de tanto morbo obloquebantur. Per vnguenta & pulueres ſparſos diſſeminatum eſſe, vulgo ferebant. Hiſce diebus lues Romam, & Latium adoritur, vbi increbeſcens non niſi inclinante anno futuro lente euaneſcit. Hìc & Neapoli male audiebant Hiſpani, quippe qui huc peſtem ab Sardinia, vt ſeditioſos morbo perderent; illuc verò Neapoli, vt rebus Baſilicæ perturbatis Oratoris Luſitani non eſſet admittendi locus, acerſiuiſſe credebantur.

Non hominum malitia peſtilens virus per pulueres, & vnguenta Neapoli diſſeminauit; aut Hiſpani illuc ex Sardinia, vel Neapoli Romam intulerunt; Sed quæ ab eclypſi Solis die 12. Auguſti anno 1654. deſcendit influentia ea eſt, quæ Ollandiam Melitam, Sardiniam, Neapolim cum regno, Romam, Latium que tam cru-

de-

deliter habuit. Cæpit graſſari malum poſt ſex circiter menſes, quia deliquij medium circa meridiem celebratur. Triennalem feré morbum, vti monſtratur in Digreſſione decima tertia, efficiunt horæ ferè tres durationis Solaris eclypſis. Magnitudini defectionis; ſiquidem in ejuſdem medio Sol vltra decem digitos obſcuratur, ſtrages minimè fuit inæqualis. Cumque quo major eſt luminaris obſcuratio, non ſolúm Majus ſequatur exitium, ſed etiam extenſior deſcendat influxus, tot Europæ regiones conſpirantibus ſuperiorum configurationibus, peſtilentià percutiuntur.

OBSERVATIO XLIX.

VIx peſtis Neapoli innoteſcit, cum priuſquam Romæ denunciatur Genuæ, quæ extemplo omnem nauat operam, incumbit ſedulò, ſatagit, laborat, vt illa à ſe, ſuiſque confinibus protelet, vndique ponit excubias, naues vel minimè ſuſpectas incendit. Viato-

tores peregrinos, nauigantes tanto rigore proſequitur, vt ipſam Suecorum Reginam neſciat, atque conſtanter recuſet admittere: quin Maſſilia quæ eam impuné recipit, ſtatim exulat, atque ſuſpectos non niſi tantùm poſt quadraginta ſed octoginta dies non intromitit. Nihilominus invità tantà Reipublicę diligentià morbus initio malignus ſolummodo viſus exoritur, qui deinde diſtricto peſtilentiæ gladio ferit, enecat plus dimidium habitantium viduans biennio Ciuitatem anno videlicet 1657. & 1658. Hoc quoque biennio variæ febres Angliam conflictauerunt per interualla: anno enim 1657. circa Kalendas ſextiles in quibuſdam eiuſdem locis erumpere cepiſſe febrem tum intermittentem, tum continuam, quæ longè latèque ſe ſe diffundens in populos cum vermibus, & bilioſis deiectionibus, delirio motibus conuulſiuis, lethargo, ac diſenteria, tanto ſcilicet ſymptomatum apparatu, vt cum mali moris, atque contagij nota ſenes, ac mediæ ætatis homines é medio

ſu-

ſuſtulerit refert *Willis de feb. epidem. cap.* 17. circa finem autumni ceſſantem nam in eiuſdem prognoſtico inquit timere ne autumno ad finem vergente tranſeat in quartanam. Hanc autem, qua quarta pars mortalium, pueri, ſenes, iuuenes, & quouis temperamento præditi, autumno nimirum vergente correpti ſunt, ſuperiori morbo ſucceſſiſſe ſcribit idem *de feb. cap.* 6. Ineunte vere anni 1658. febris tertiana intermittens nonnullos inceſſit, deinde circa finem Aprilis de repente emicuit affectus veluti afflatu quodam ab ſyderibus immiſſus catarrho, tuſſi, alijſque grauibus ſymptomatis comitatus, tot ſtatim corripiens, vt in quibuſdam oppidis vnius ſeptimanæ ſpatio plus quàm mille homines vna decumberent. A quo deſijt hic affectus, qui ſeſquimenſem durauit, & ſtatus fuit ſalubris ferè ad ortum Caniculæ pauci primo in Willis ac vicis minoribus ſparſim ægrotauerunt: poſtea verò circa finem menſis Auguſti, febris noua (quaſi verò huiuſmodi febris numquam aliàs apparuerit]

de

de repente exorta per totas regiones vndequaque in vicinia graſſari cæpit, quæ in alijs regionibus procul diſſitis, imo per totam Angliam immaniter ſæuiebat, vt ait *Williſius de feb. cap.* 17. Poſt Haloſim Mortaræ, & Vigeuani demolitionem eodem anno Marchio Villa multos milites militari morbo vehementer afflictos ſaluti reſtituendi gratia Ceranum ſe recipit. Bruſonus in Hiſtoria Italiæ pag. 682.

Anno 1656. die 26. Ianuarij contingit Solis eclypſis non parua paulò poſt meridiem Genuæ ſpectata. Huic Solis deliquio, cum iuxta Argoli ſententiam noxam auſpicetur circa initium anni 1657. debetur Lyguriæ peſtis. Ego malui fidem adhibere illis, qui mihi retulerunt hanc Genuæ calamitatem regnaſſe annis 1657. & 1658. quàm Bruſſono qui ſcribit, ni fallor, ſæuiſſe annis 1656. & 1657. quod ſi ita eſſet, ab eadem cauſa, à qua ſuperiori, hæc peſtilitas dependeret. Cum autem die 25. Iunij anni 1657. ad meridianum Londini Luna totali lumine deficiat ferè

ho-

horarum quatuor ſpatio in domo duodecima: apparet ab hac luminarium oppoſitione morbum a Uvilliſio prius deſcriptum, cum prodeat ſeruata debita intercapedine, nempe poſt menſem, vt eclypſis diſtantia ab oriente poſtulat; & a Superiorum aſpectibus ineunte Iulio initis eſſe productum. Quartanam vero quin terni Superiores in quadratum aſpectum menſe Octobri conuenientes omnes indiſcriminatim offecerint nemini dubium. Porro febrem intermittentem ineunte vere exortam anno 1658. infortunarum oppoſitio, & Lunæ eclypſis quatuor digitorum exeunte Decembri anni antecedentis poſt duos circiter menſes affligens patrata induxit. Affectum ſub finem Aprilis extemplo exiſtentem Saturni & Martis trino aſpectui initio ejuſdem menſis initis: tribus verò ſuperioribus menſe Majo, ac Iulio configuratis reliquas ægrotationes acceptas referimus.

Mor-

Morbi aliqui qui videntur diſperſi potius ſunt populares.

DIGRESSIO DECIMA QUINTA.

QUamquam raró pagus extat licét infrequens qui vacet ægrotantibus; ſed in eo interdum vagantur ægritudines, quæ quia raræ ſunt, ac diuerſis generis, ita vt hic æger de reumatiſmo, ille de febre, aut aurium dolore conqueratur, videntur a cauſa ſporadica dependere; attamen quippe planetarum configurationes, quæ diuerſos affectus ſignificant, plures quotannis exiſtunt, eæque non multum validæ ſunt, & ſimul interdum cooperantur: credibilius eſt morbus hujuſmodi ſcilicet raros ac diuerſos, maximè quia laborantes res non naturales non abuſi plerumque ſine occaſione decumbũt, populariter, quám ſporadice palari.

OB-

OBSERVATIO L.

ANte Solſtitium æſtiuum anno 1660. morbilli pluribus in locis exorti plurimùm ſæuiebant, vt ait *Willis de morbis conuulſiuis cap.* 8.

Anno 1659. die 29. Octobris in domo nona ſub longitudine Londini Luna octo digitos obſcuratur. Siquidem hoc plenilunium graſſari incipit octo poſt menſibus tale interſtitium exigente loco defectiuo juxta Digreſſionem octauam: hanc ægrotationem hinc proficiſci certum eſt.

OBSERVATIO LJ.

FEbris popularis affecto ſoporoſo vt plurimùm inſignitæ cum aurium tinnitu, fabulatione abſurda, vertigine, deiectionibus inuolontarijs, ſputo craſſo cum tuſſi comitatæ quandoque quadrimeſtis, qua aliquot correpti quam cito ad ſceleti marcorem redacti ſunt, obrepentis Londinum, & vici-

ciniam non ſolum, ſed etiam regiones lungé diſſitas infeſtantis poſt æquinoctium Vernale anni 1661. *Willis* de morbis convulſiuis graphicè deſcribit hiſtoriam. Eodem anno ſub finem Augusti ægritudines minuunt claſſem Venetam multos tollentes de medio nobiles, quæ pariter in Turcicam penetrant tam exitiales, vt Candiæ nouæ munimentis milites præſidiarij vix ſufficiant. *Bruſ. pag.* 719.

Anno eodem die 30. h. 2. 30. ante meridiem Londini, in Candia verò ferè in ipſo meridie Sol lumine hebetatur [hanc eclypſim Argolus omittit ex animaduertentia ponens Lunam in latitudine vera auſtrali collocandam in Septentrionali, qui contra in nouilunio Septembris locans Lunam in latitudine Septentrionali, quæ reperitur in Auſtrali, exhibet figuram eclypſis die 23. Septembris falſam] ſed cum hic luminarium coitus eontralis non niſi poſt aliquot menſes noxam exordiatur, ſolam Claſſem Venetam vexauerit; ſi die eclypſis milites erant diſ-

poſiti in locis, in quibus eam ſpectarint: Secus infortunæ illam percuſſerint menſe Julio ex aduerſo ſe reſpicientes. Angliæ autem ægritudines a tetragono Malignorum aſpectu die 16. Martij ejuſdem anni, & à deliquio magno Solis menſe Nouembri anni 1659. celebrato, poſtquam alibì aliquandiù obſuerit, operante deducuntur.

OBSERVATIO LIJ.

INeunte vere anni 1665. peſtis in Poloponenſum crudeliter ſæuiebat. pag. 792. ſed hyeme Angliam, Belgas, Ollandiam, Galliam, Germaniamque grauiter eadem percutiebat. pag. 813. quo anno etiam Turcæ labe peſtilentiali inficiuntur. pag. 795.

Cum aliæ infirmitates ineunte anno, vt monet *Hiſtor. pag.* 790. diuulgentur; harum cauſa in maleficos ſolũ ſub finem Nouembris coeuntes reijecta; reliquas, quæ ineunte vere quæque hyeme latè diſſeminantur, ab eorundem conjun-

ctio-

ctione menſe Nouembri contingente, & inſimul Cometa menſe Decembri anno 1664. apparente, & vere ſequenti euaneſcente jure deducimus ; quia verum eſt

In cœlo nunquam ſpectatum impune Cometam.

OBSERVATIO LIIJ.

CIrca autumnale æquinoctium anni 1666. Thebis morbus peſtilens horribilem habitantium ſtragem edebat. *pag.* 824.

A Marte quadratum radium menſe Iulio in Saturnum vibrante,&ab eclypſi magna Solis eodem anno die 2. ejuſdem menſis & hora ad earum longitudinem 2. 31. ante meridiem celebrata hoc malum dependet. Neque obſtat; quod illud pro loci defectiui ab oriente diſtantia parumper anticipet; quia naturæ opera non tam ſunt aliggata puncto, vt aliquam non habeant latitudinem : & citius aut tardius ob locorum, & gentium habilitatem influxus

malignus operetur. Neque quis miretur, quod tantum ſolis deliquium in ſolas Thebas deſæuiat; quoniam non luminarium defectio, quia totum ſemper emiſpherium afficeretur; ſed eorũ influxus, vt planetarum ſuperiorum, vt aliàs innuimus, qui ferè in certa loca, & homines certos intendit noxam morbos populares inducit.

OBSERVATJO LIV.

ANNO 1667. diebus canicularibus Lugduni Batauorum, & in vicinia complures affligentem febrem intermittentem in principio ſimplicem deinde duplicem, continuamque aliquando per multos paroxiſmos vexantem ægros multis ſtipatam ſymptomatis cum grauibus circa præcordia doloribus, proinde nomine cardjacæ inſignitam explanat Franciſcus de le Boe Syluius praxeos Medicæ tractatu nono.

Cum Mars Saturnum menſe Aprili quadrato, menſe ſequente triangulari radio Hiadibus, & Pallilitio adhærens aſpi-

aſpiciat; hinchas febres Leidenſes profectas eſſe nemo ibit inficias.

OBSERVATIO LV.

ANNO 1668, peſtilentia Belgas, Heluetios, Gallos Turcaſque dirè percutit. pag. 878.

Quam tres ſuperiores vnica die ſcilicet 12. Aprilis quinque horarum ſpatio ter configurati, Marte lucidæ lancis auſtralis perniciosæ hærente, ſine dubio aduocarunt.

OBSERVATJO LVJ.

SYluius in praxeos Medicæ tractatu decimo Ciuitatis Leidēnſis deſcribit miſeriam, deploratque tot Ciuium iacturam quam grauis exitialis, ac diuturnus morbus conſtanter intulit a menſe Auguſto anni 1669. ad Ianuarium ſequentem, qui licet ſine diſcrimine ætatis, & conditionis omnibus incolis infectus fuerit: tamen in adultos & prouectioris ætatis homines, in

diuites prius, & immanius, ac tanta vi ſæuiit, vt primariorum ciuium ex tribus partibus duas è medio ſuſtulerit. Tantum morbum, qui erat febres intermittentes ſimplices, duplices ſuccedentibus etiam continuis multis, & grauibus comitatæ ſymptomatis [quas neſcio cur non dixerit peſtilentes] aeri vernali tempore, ac prima æſtatis parte nimis frigido pituitæ multum colligenti; & ſuccedenti Lulio, Auguſto Septembri, atque Octobri, æſtui immodico bilem acriorem reddenti, nec non humorem pituitoſum fundenti efficientique fluidiorem: denique iterum menſibus Nouembri, Decembri, & Ianuario immodicè algido fluidam cogenti pituitam ductus laterales pancreatis obſtruentem, accuſans etiam aquas paluſtres vrbi circumjacentes, idem acceptum refert.

Hæc tanti Authoris de febribus intermittentibus epidemijs, quæ de ſporadicis forſan non eſt improbabilis: licét illæ penderent ab aere; doctrina ſuſtineri non poteſt. Nam præterquam

quod

quod hujuſmodi febres ingruunt ſæpiſſimè ſine tali temporum conſtitutione, hoc eſt primo frigidiore, deinde juſtò calidiore, denique denuo extramodum algida: & reliqui Authores plerumque, vti Benedictus Siluaticus *reſponſo decimo tertio*, *&* *Willis de feb. cap.* 17. a ſimplici, & ſemel facta aeris &utatione nec præſente; ſiquidem morbus ab ea fotus non curatùr, ſed prægreſsà ægritudines vulgares deducunt: cum toto ſemeſtri febres graſſatæ ſint eædem: æſtate flabellum v. g. ædium vmbram potumque gelidum æque, atque hyeme frigus inſolitum pituitam fluidam coagulaſſe, & hanc ab eiſdem tam coagulatam eſſe; [ſimodo ardente ſyrio coagulari potuit] vt non ſtatim ab ardore Solis liquefacta fuerit, probabile non eſt. Neque videtur conſentaneum pituitam hyeme coagulatam a cauſa communi, & ineuitabili, vt inquit ipſe, ſcilicet hyberno frigore nimio; quæ verò æſtate ſiſtitur, & ductus panereaticos obſtruit; a cauſa priuata, & euitabili, puta po-

tu gelido, mærore, frigidis alimentis deducere.

Ab aeris autem vitio morbum hunc haud ortum fuiſſe, nullus ſuſpicari non poterat, eo quod priús, & grauiori plaga, quám Plebei, percuterentur Opulentiores, Primateſque; qui contra pro minori pituitæ, minori bilis acrioris, ſuccique pancreatici acidioris apparatu, quippe qui frigoris, & caloris incommoda facilè euitare potuerint; erant leuiús afficiendi. Non igitur Diuites pejus habuerunt, quod minus aeris injurijs, quàm Plebei, vt inquit Author in oratione de cauſis hujuſcæ affectus, eſſent aſſueti: quod verum foret, ſi illi pariter, ac iſti frigoris, & caloris exceſſum ſenſiſſent; nec Adulti, quàm Iuniores, nec Duriores, quàm Delicatiores, vt ait idem, fuiſſent pejus habiti: ſed quia morborum vulgarium cauſa; quemadmodum vt plurimùm certos ſolum terræ tractus afficit, ac certo animantium generi fit aduerſa; ſic cum hac, non cum illa; aut plus cum vna, quàm cum alia homi-

minum ætate, temperamento, & conditione diſſidet, proinde hæc, quæ haſce ægritudines produxit, majorem cum Diuitibus, quàm cum Plebeis habuit antipathiam. Hunc autem diſſenſum ſyderum cum ſublunaribus a natura malignis Aſtris inditum eſſe veriſimile eſt, ne illa vbi aduerſæ cœli conſtitutioni omnibus fortitudinis numeris abſolutæ, aut plurimis inſtructæ non ſeruiunt, vt ſunt cauſæ vniuerſales, indiſcriminatim, & vniuerſaliter ſæuientia hiſce inferioribus nimio forent exitio.

A nulla itaque re è ſex non naturalibus, ſed á ſuperiori cauſa genitæ ſunt febres hujuſmodi; ſicuti quoque intermittentes, quæ grauibus etiam comitatæ ſymptomatis in eadem ciuitate, anno 1667. graſſatæ ſunt, a quibus quemadmodum pauciſſimi ceciderunt, vt videre licet in ejuſdem Authoris tractatu præcedenti, propter humorum, nempe bilis, pituitæ, & ſucci pancreatici mutuam, vt inquit idem, contemperationem, hoc eſt propter eorundem

dem non tam malignam qualitatem, quia à non adeo valida cœli conſtitutione productæ ſunt, vt plures quá intermittentes ſunt, perimere valerent: ita hoc anno 1669. paucissimi conualeſcunt, eo quod à potentiori cauſa dependent, nempe Solis eclypſi, quæ, vt alias innuimus, ſolet eſſe peſtilens, ſex digitos obſcurati ſub longitudine vrbis Leidenſis h. 2. 19. p. m. die 4. Nouembris anni antecedentis conſpirantibus menſe Iunio ſuperioribus celebrata Atque eaſdem inde originem habuiſſe ſatis eſt argumenti, quod ab eclypſi patrata poſt nouem circa menſes ſæuire incipiunt: nam cum luminare lumine deficiens in oriente ſtatim; in medio cœli, ſexto menſe in occidente poſt annum, quod monſtratur in digreſſione octaua, ferè morbos exerat; hæc eclypſis, quia in domo nona h. e inter medium cœli, & occidentem contingit nono menſe peſtilentem conſtitutionem auſpicatur.

Cur

Cur ciues ſaluis aliquando aduenis in eadem Ciuitate ſoli morbo populari afficiantur.

DIGRESSJO DECIMA SEXTA

NON Solúm quandoque Diuites, & Primates, quàm Plebei vt in ſuperiori obſeruatione apparet morbo vulgari graſſante, plaga grauiori plectuntur; ſed etiam non numquam ſaluis omnibus, qui eadem in Ciuitate degunt Aduenis, Ciues ſoli morbo epidemio detinentur, vt euenit olim Baſileæ, & Hafniæ ſicuti ſcribit *Senn. Prac. lib. 6. par. 3. cap. 3.* de contagio quarum ſoli Ciues, incolumibus illìc Italis, Gallis, Hiſpaniſque; hìc Belgis Anglis & Germanis peſte correpti ſunt. cuius rei cauſa, vt opinor eſt, quia ſola Heluetia, ac Dania, ſeu Baſilea, & Haphnia cauſæ peſtilenti fuit obnoxia; non propter

propter ſigni celeſtis, in quo Cæli maligna conſtitutio ſita fuit, ſuper ea loca dominium, cum ſigna Zodiaci, vt dicetur etiam alibì, nullam habeant ſignificationem; neque ſigno virginis, in quocontingit Solaris eclypſis anni 1551. peſtis illius Haphniæ cauſa, hæc vrbs, aut Dania ſubijcitur; ſed propter diſſidium, & conuenientiam, quam ſtellæ cum hac non alia Regione ſeu Ciuitate, proinde cum huius Ciuibus, non Aduenis habent; quam tamen deprehendere,&obſeruare difficillimum eſt, imo impoſſibile, cum non ſemper ydem Planetæ: & ſi ijdem non ſemper cum ijſdem fixis; & ſi cum ijſdem fixis, nunquam in eodem loco poſitis conueniant; neque eædem fixæ omnes omnibus notæ ſint.Quamobrem defectui Solis peſtifero anno 1654. patuit Neapolis, eiuſq: Regnum, & Roma cum Latio; non Hiſpania; eclypſis Solis anno 1652. aduerſa fuit Polonię non Italiæ: hyeme ineunte anni 1594. ſuperiorum influxum peſtilentem, experta eſt Rhetia, & Mediolanum, eum minime

nime vicinæ ſenſere Prouinciæ. Et ſic noſtrates tunc Mediolani domus infectas diuertiſſent forſan incolumes, vt olìm Comes Mansfeldius, ſicuti loco ſupracitato narrat Sennertus, & dictum eſt in Obſeruatione XXXIIJ. vna cum militibus ſuis omnibus Cremonam lue infectam impunè diuertit. Hac ratione ferè iſti, & non illi Populi, Oppidani, non exteri morbo populari afficiuntur, quod ſine vllà arcanà proprietate euenire quoque poteſt, vbi Regio, vel Ciuitas iam infecta vel inficienda, quia vidit eclypſim, excipit nationem aliquam, quę eandem in ſuo hemiſpherio non habuit. Nam cum ea dumtaxat illis, quibus ſpectabilis ſit, noceat, ſi ſol v. g. ſub longitudine noſtra paulò poſt eius occaſum deliquium patitur ita vt nos, quia ſub hemiſpherio noſtro eclypſis celebratur, haud lædamur, & ea patrata milites ex Hiſpania vlteriori in Italiam proficiſcantur poſt 10. vel 12. circa menſes, prout plus, vel minùs ſunt occidentales, illi vel in exercitu, ſaluis alijs militibus, aut in

præ-

præſidijs, oppidanis incolumibus, aut omnes, aut partim noxam eclypſis huius quę occultatam aperientes infirmabuntur. Contra ijdem ſole in oriente eclipſim paſſo: dummodo eam in ittinere non ſpectarint, nec alio maligno influxu tacti ſint; Italiam aſſequti caſtra noſtra militari, vel populos epidemio morbo vexatos inuenient, ibique Militibus reliquis, vel Ciuibus ægrotantibus degent incolumens, quippe ab influxu morbifico vacui, & ob diſſimillitudinem gentiũ contagio non opportuni. Porro cùm regionem vnam quám aliam peius habet eadem conſtellatio: quamuis talis deſcriminis ratio iure peti ſoleat a maiori vnius, quàm alius diſpoſitione, ſuſpicari liceat etiam quandoque id a fixa notabilis latitudinis, quæ oritur eodem die conſtitutionis cæli morbificæ ſub eleuatione Poli cui regio illa ſubiacet, dependere: veluti ſi Solaris defectio die 25. Julij vel infortunarumSynodus celebretur in gr. 2. Leonis quoniam Canis minor, ſeu Procyon primæ magnitudinis, & in-

ſenſus

ſenſus oritur coſmice cum Sole, vel cum eiſdem maleficis eo die ſub altitudinis poli gr. 45.: Taurinum & vrbes, quæ eandem ſortiuntur poli eleuationem, potiſſimum & grauius Romà, vel Pariſijs [quomodo etiam ſæpe in hac, non illa mutatur aer] afficiuntur.

OBSERVATIO LVIJ.

CIRCA Autumnale æquinoxium anni 1670. Londini quamplurimos dyſenteria incruenta valde periculosa ſub finem octobris deſinente laborare ſcribit *W*illis de hypecatharſeos remedio *ſec.* 3. *cap.* 3.

Quam deducimus a Marte menſe, Maio, & iterum Septembri aſpectu ſextili Saturnum feriente.

OBSERVATIO LVIIJ.

ANNI Sequentis autumnali æquinoxio ingruente febris erumpit per totam Angliam graſſans diuturna difficilima iudicatu, quæ varijs, diriſ-

que

que ſymtomatibus comitata in affectionem ſoporoſam, aut phthiſicam deſinit. *W*illis ibidem de dyſenteria Londinenſi.

Eodem anno die 18. Septembris h. 6. 47. poſt meridiem videlicet ſtatim poſt Solis occaſum Luna in gr. 25. 53. Piſcium immenſis circumfuſa tenebris emergit Londinenſibus, propterea illicò, & ſine vlla temporis intercapedine morbus popularis exoritur totam propemodum Angliam grauiter conflitans ob defectus lunaris magnitudinem, nec non errantium inſalubrium oppoſitionem ſtatim eclypſi ſuccedentem.

An Opthalmia, catarrhus, dyſenteria Phthiſis ſint contagioſa

DIGRESSIO DECIMA SEPTIMA

Vvlgò ferunt inſpicientem ophtalmici oculos ophtalmicum euadere iuxta illud Poetæ.

Dum ſpectant occuli læſos læduntur & ipſi,
Multaque præterea tranſitione nocent.

HOC Ego tamen numquam obſeruare potui: & ſciò hoc eodem tempore, quo hæc ſcribo mulierem quandam ophtalmia moleſta, ac trimeſtri detineri; nulli tamen ex familia numeroſa, nullique extrario, qui eiuſdem oculos inſpexit malum communicaſſe: ſcio quoſdam quotannis non ſemel catarrho, tuſsique grauiter moleſtari, neque vnquam ex domeſticis quemquam vidi ſimili morbo correptum:

cumque nunquam meminerim a quopiam dyſenteria vexato alium domeſticum infectum fuiſſe: dicendum puto eaſdem affectiones, ſi cum febre maligna comitentur, eſſe poſſe contagioſas, quippe morbus aliquis vt inficiat, putridus, & malignus, vt monſtratur alibì, ſit opportet: non contagioſas vero, licèt pro cauſa communi populariter vagentur, ſi exiſtant febris expertes, qua etiamsí non vacet phthiſis, illius tamen contagium venit in dubium.

Enim verò etsì qui cum phtœmaſato ſanguine tabido verſans cognatione attingit ægrotantem in phtiſim, incidens morbum hęreditarium, non contagioſum certius dicendus eſt contrahere, quia huius rariſſimi extánt caſus, illius frequentiſſimi; nam eorum omnium, qui conſuetudinem habuere cum phthiſicis, quos intra 50. annos, quibus medicinam facio habui ſupra viginti quinque, vna duntaxat Vxor vno, vel altero menſe poſt obitum viri tabe confecti anno ſimili malo correpta

repta eſt,non tamen qui cognatus non eſt certò contagio affectionem phthiſicam acceptam referre debet; cum non omnis phthiſis ab infectione ſola, vel innata ad tabem diatheſi deriuetur, ſed etiam a prohibita tranſpiratione, & alicuius ſolemnis euacuationis ſuppreſſione, vel aliarum rerum non naturalium errore vel catarrho epidemio ducere poſſit originem. Quare tametsì Viduam modo memoratam, & Mulierem illam cum Ancilla, de quibus Riuerius mentionem facit *cent.* 1. *obſer.* 35. & 99. non temerè negare poſſum contagioſum morbum contraxiſse; tamen quia tabefactæ ſunt circiter tempus, quo adhuc affectio contagioni aſſignari poteſt: mihi quoque fateri licebit illum inficere quidem, ſed duntaxat tum, cum tuſſit ægrotans. Nam cum febricitantium effluuia putrida, vt ſatis expellantur indigeant præter alias conditiones, quæ alibì deſcribuntur efferueſcentiâ, ſeù calorê ſaltem mediocriter vehementî; & phthiſicorum febrilis efferueſcentia vt pote lenté febricitantium blanda ſit,

putridos halitus ſatis expellere, & in pulmones Adſtantis intromittere nequit niſi tuſſi agitatos. Atque hinc fortaſſe euenit, vt pauci, ſicuti ſupradictum, eſt inficiantur, eo quod paucis accidet halitum cum tuſſi, & ore aduerſo emiſſum attrahere. Quod autem morbus huiuſmodi ſine malignitate; cum ea enim non tandiú protraherentur phthiſicorum funera, quippe febris putrida, qualis eſt, quæ phthiſim comitatur, vt contagioſa exiſtat, maligna ſit, oportet, vt patebit alibì, in cauſa eſt cognatio naturæ, ob quam putridi phthiſicorum halitus cum tuſſi ſcilicet expirati: ſecus Chirurgi non innoxiè vlcera ſordida, & putrida tractarent, ſanorum pulmonibus ſimile labem, imprimunt. Quamobrem ſi hoc pacto duntaxat phthiſis, vbi ſporadica eſt [epidemia enim, de qua ſæuiente, anno 1661. & ad ſalutem plerumque, euadente mentionem facit Willis de morbis conuulſiuis *cap* 8. quaque ferè deplorata laborantes aliquos, ad ſceleti ariditatem redactos nos habuimus

mus anno 1691. poſt bimeſtre vel trimeſtre ſpatium conualeſcentes, a toto corpore, vt aliæ febres vulgares ſolitariæ vel comitatæ, miaſmata contagioſa diffundere poteſt] ſanorum pulmonibus eſt infenſa, quod etiam vtenſilibus veſtibus, induſijs, & ſimilibus; ſiquìdem pro comperto habeo; phthiſicorum omnium ſupramemoratorum hæredes omnes ijſdem impunè vſos eſse; hæc labes communicetur,

Credat Iudæus Appella
Non ego

OBSERVATJO LJX.

IN Vita Willis, & facultate eidem a Rad. Bathurſt. Vicecancelario Oxonodienſi data inprimendi opus poſthumum, conſtat Londini anno 1675. pleuritidem epidemiam, quà correptus Willis Vir de re medica tam benemeritus diē obijt die 12. nouembris, deſæuijſſe.

Vel Willis lethalis decubitus inchoauit conſtitutionem pleuriticam, & hęc debetur maleficis die 3. eiuſdem men-

ſis ſibi occurrentibus, vel iamdiu incepta continuauit, & tribuitur eclypſi Lunario magnæ valdè exitiali circa Aprilem ſæuire incipienti, quo tempore Sextili radio, & quadrato aſpectu menſe Iunio infortunæ ſe feriunt.

OBSERVATIO LX.

LVES Jmmanis impetit Melitam plus decem millia incolarum anno 1676. proſternens *Bruſ. pag.* 1024.

Die 4. menſis Martij Planetæ peſtiferi in quadratum conueniunt, & Junij initio Lunaris eclypſis, quæ anno tranſacto mane in ortu Solis celebratur maxima, incipit operari. Sub finem denique Iulij Errantes maligni dum percurrunt Pleiades, congrediuntur. Siue vere, ſiue æſtate ſe exerat Melitę peſtis, illius cauſa in promptu eſt.

Peſtis

Peſtis non habet peculiare contagium, nec modum inficiendi proprium.

DIGRESSIO DECIMA OCTAVA

EFfluuijs quæ Exhalant peſte correpti, tantam vim ineſſe ſtatvunt omnes, vt excepta, contagionis labem, ſtatim communicent; quod quidem vtplurimum verum eſſe fateor. At eadem ex quâdam exacta miſtione indolem tam indomitam acquirere, vt inter variorum corporum alliſiones illibata ſe præſtent, in aere diù durent, in eoque vel ventis agitato, vel Solis ardoribus æſtuante in longinqua loca deuehantur integra: Quin fomites dari, veluti linteum, culcitra, veſtes, pilos, & ſimilia, quibus illa tenacìter hæreant, diuque velut ad annos viginti, vſque eo videlicet quoad forte commota erumpant obuium quemque, & ſucceſſiuè veneno per fomites

translato, ac circumfuſo totam tam Ciuitatem, & regionem inficientia numquam perſuaſum habebo.

Enim verò cum contagionis ſeminia velociter, quia ſubtiliſſima exiſtunt, ſe inſinuare ſtatuant Authores; fomitemque, ne in eo latentis veneni vis à qualitatum primarum exceſſu infringatur in loco neque nimis frigido, neque nimis calido, neque ventis expoſito locatum velint: fieri non poteſt, vt ea vtpote ex tenuiſſimis conſtantia particulis, tenaciter hæreant, ſi ſtatim commota exiliunt; vtque quia maximæ ſunt efficaciæ, facilè non vincantur. Quì verò in aere ventis agitato ac Solis ardoribus eſtuante integra volitabunt ſi niſi fomes in loco temperato iaceat, in eo latentis veneni vim ob qualitatum primarum immoderationem debilitari ferunt? Qui intra viginti, & plurium annorum ſpatium; ſiquidem intra tantum temporis interuallum anni temporum valdè inſignes mutationes ingruere neceſſe eſt, in quacumque domi parte ſit fomes, vis illa contagioſa

illibata

illibata ſeruabitur? Nęque ſibi conſtant huiuſce propagationis peſtis inuentores; quandoquidem de peſtilentis contagij conditionibus differentes, eiuſdem ſemina in quocumque loco, quocumque tempore eſſe dicunt indomita; de eorundem autem vehiculo ſcribentes, contagij vim niſi aer omnis actiuæ qualitatis ſit expers, euaneſcere volunt, & extingui. Porrò mirari ſatis non poſſum quod in linteo illo in obſeruatione quarta memorato latere non potuiſse peſtem Authores non diſpexerint: quoniam ſi idem infectum fuiſſet contagio ſorumque ſeminum extitiſset fomes: in eiuſdem de lecto remotione [quod de funum illorum quoque, & culcitrę quibus motis Sennertus *de feb. lib.* 4. *cap.* 3. de contagio ait peſtes ſæuiſſimas etiam excitatas fuiſse, proiectione dici poteſt] implicatione, & in arca repoſitione eadem peſtilitatem vel adhuc preſentem exacuentia, vel abſentem profectamque reuocantia exilijſſent. Nec video quomodo ſupelectiles transferri poſſint extra Vrbem cum infecto, a peſte prę-
ſeruan-

ſeruandi cauſa, ſine periculo; Nec qui ædes infectas mundant; telas aranearum remouere, veſtes, lintea aeri, ventiſque exponere, & diligenter excutere queant.

Cum igitur peſtilentis contagij fomites, quos, vt haberent cauſam aliquam externam, vndè peſtilentias ſine aeris vitio, vel victu præuio exortas quales ſunt quas deſcribit *Sennertus de feb, lib.* 4. *cap.* 3. de contagio, excogitarunt illi, qui morborum Popularium originem in Cœlo querere neſcientes, quibuſque eorum natura nunquam innotuit, de vanitate arguantur, proinde miaſmata contagioſa ab ægris exhalata vt tenuiſſima ſunt, ſicuti ſolent pleraque eſllvuia ſtatim diſpereant, nec in fomitibus vti palio, capillitio, veſtibus, columbis, & ſimilibus hærentia de infecta domo vel Ciuitate in ſanam deferant, ijſque motis, vel excuſſis, quo fabulis anilibus nihil poteſt dici ſimilius ibi peſtilentiam diſſeminent: ſed certum ſit peſtem & alios morbos epidemios omnes ab ſolo maligno ſtellarum inflluxu dependere, ab eoque longè la-

gè latèque diffundi, cum ſit cauſæ communis plures inuadere, contagij eos duntaxat, qui de Cœlo tacti non ſunt, inquinare, eoque immediato vel mediato infici tam peſtilente febre quam maligna correptos; ſiquidem vtraque & toto corpore & ore ſeu halitu exhalat efflvuia: manifeſtum fit contagium peſtis cum febre nempe febris peſtilentis, & contagium febris malignæ licet illud ſit terribilius, quia citius perimit, inficiendi modo non differre: quin etiam peſtem ſine febre eodem modo quo alij morbi virulenti febris expertes cuiuſmodi eſt lues venerea, qua de re ſermo fit obiter digreſſione XXI. graſſari contagio.

OBSERVATIO LXI.

INnotuit hìc, & vicinia febris continua circa initium anni 1677 quæ licèt in principio lentè, ac tacitè vagaretur; tamen paulatim tam moleſta, & perniciosa increbuit, vt cumplures cuiuſuis ætatis, & conditionis quippe, quod

quod rei caput, eſt triennium graſſata e medio ſuſtulerit. Varios varia, & grauia conflictabant accidentia; & omnes narcoſis, & affectio ſoporoſa tanquam ſymptoma inſeparabile deſinebat. Porrò malum quamuis pluſquam malignum foret: in hoc tamen pago contagione vacare conſtabat, ex eo quod [ſi id ſatis probat] in vnaquaque domo vnus ſolummodo, præterea nemo vel ſimul vel ſucceſſiuè eodem morbo laborans decumbebat. Raró mihi contingebat ægros ſupra viginti quotidie inuiſere, quorum illi, quibus dabatur euadere e morbo, tam ſera erat conualeſcentia vt vltra plures menſes ſaluti dubiæ reſtituerentur. E viuis quantum meminiſſe, & conijcere poſſum pars trigeſima circiter populi exceſſit, qui præ alijs multis leui plaga percuſſus eſt; quoniam in compluribus huiuſcæ regionis oppidis, viciſque quam primum domum aliquam ingrediebatur hæc lues, non totam dumtaxat familiam inficiebat adeo, vt vix ſupereſſet, qui languentibus miniſtraret

ſed

ſed etiam tantam ſtragem edidit, vt aliàs dimidium, aliàs duæ tertiæ partes habitantium , ſicuti Clareſci Ciuitatis patriæ meæ conterminæ deſideratæ ſint. Tanto autem adeoque diuturno infortunio non ſolum patuit Pedemontium , & vicinæ Prouinciæ , verùm etiam Jtalia , Gallia , Hiſpania , tota videlicet Europa eidem obnoxa fuit : quin malum idem nec leuiùs , nec breuiùs, licèt Hiſtoricus pagina tantum biennale denunciet, in Aſiam & Affricam penetrauit.

Eclypſis Solis anno 1676. die 11. Iunij h. fere 2. ante meridiem alibì ſeriùs, alibí citjus celebrata, & Mars, qui Saturnum trino, Jouem quadrato radio intuetur totum pene terrarum Orbem febribus malignis, ac peſtilentibus afflixit. Sed cum huiuſcę defectus Solis magnitudinem, minaſque mali diuturnitas, atque diffuſio longè ſuperent, quia multo maiores hac Solis eclypſis olìm, licèt quandoque diriús etiam iunctis peſſimorum errantium viribus neque tam longè, latęque ſæuierint: faterj

teri licet cometam,qui tribus ante menſibus, quàm ſol lumine deficeret; nempe Martio teſte eodem Hiſtorico, apparuit, partem tantæ epidemiæ conſtitutionis non minimam ſibi vindicare.

Cur morbi vulgares, vtpotè a cauſa vniuerſali prouenientes, non ſemper ſint toti mundo communes.

DIGRESSJO DECIMA NONA

RATJO Eſt, quia ſi ſemper vniuerſum orbem afficerent, iamdudùm, cum frequentiſſimi ſint,ob nimiam perniciem mundus Habitatoribus deſtitueretur. Propterea, eo quod ad vniuerſi conſeruationem neceſſariæ ſunt ægritudines populares; ſiquidem niſi darentur, & per eaſdem identidem immodicus hominum numerus minueretur; præ illi enim a ſporadicis cadunt pauciſſimi

ciſſimi, nec tot ferro milites, quot morbo caſtrenſi abſumuntur; adeo viventium vis increbreſceret, vt illorum alimentis terra non ſufficeret: natura comparatum eſt, vt eædem duntaxat omnes, vel pleraſque mundi partes occuparent, quæ a cauſa vniverſali omnibus fortitudinis numeris abſoluta ſit, aut pleriſque inſtructa, qualis eſt in ſuperiori obſeruatione noſtra, magnum veritatis *iatro-Aſtronomicæ* argumentum, prouenirent. Cum veró raró detur aduerſa ſtellarum poſitio, quæ omnes fortitudinis numeros [cuiuſmodi eſt Solis eclypſis maxima, ſuperiorum omnium cum aliqua ſtellarum fixarum primæ magnitudinis maligna copulatorum coniunctio centralis, vel ſaltem partilis, & cometa inſignis] vel plurimos contineat, nec vlla ſine influxu, h. e. peculiari cum certis locis, & hominibus antipathia operetur; euenit, vt raró morbi per omnes, vel pleraſque orbis plagas diſſeminentur; ſed pro maiori, vel minori eiuſdem tum energia, tum locorum ſpatio, ac gentium cum

quibus

quibus diſſidet multitudine, ac reſiſtentìa latior, aut anguſtior terræ tractus, plures, aut pauciores homines plerumqueaſſiciantur.

OBSERVATIO LXII.

MILITES Jn caſtris ad Budam, vt ſcribit M. Aloyſius Sinapius paradox medic. par. 2. fluxu dyſenterico torquentur anno 1684.

Qui non à ſuppoſita immodica fructvum per Vetulas eò allatorum comeſtione, ſed à maleficorum ineunte menſe Maio in quadratum conuenientium influxu aerem ſanguini diatheſim imprimente deriuatur.

Anno 1687. Taurini, & in vicinia, & alibi graſſantur vere ineunte variolæ, quæ multos iugularunt infantes, & aliquos adultos, & prouectioris ætatis homines deformarunt.

Die 29. Nouembris anni antecedentis ſub longitudine eiuſdem Vrbis in medio Cœli Luna octo digitos obſcuratur, propterea vere, quia in eo loco poſt ſex circiter

citer menſes noxam inchoare ſolet, conſpirantibus infortunis exeunte martio ſe opponentibus, variolæ divulgantur.

OBSERVATIO LXIV.

INceſſit hunc pagum vicinoſque Populos anno 1688. circa ſolſtitium febris tertiana intermittens ſimplex, duplex aliquando ſine rigore, vel horrore cum magna efferueſcentia, ſiti intenſa, vomitu enormi, ac diarrhæa immani præcipuè inſignita. Quamuis verò cum malignitate non leui coniunctus foret affectus; omnes tamen euadebant præter aliquot infantes nulli ætati ſexui, & hominum conditioni parcens, qui quia tota fere familia ægrotabat contagione [ſi id contagium ſemper arguit] non vacabat, ad Septembrem, & vltra perſeuerans dimidio, vel fortaſse duabus tertijs partibus Jncolarum febricitantibus. Hanc ægrotationem ſequutæ ſunt pleuritides, & peripneumonię tam pernicioſę, & frequentespræſertim

Alpes verſus, vt nunquam poſt denos, aut duodenos annos tot ægrotantes in Lybitinæ rationẽ venerint. Plures menſes durauit affectus, qui in pluribus locis plus dimidium laborantium, in aliquibus vix tertia parte ſuperſtite de medio ſuſtulit. Cęterum duorum vicorum hinc non procul diſtantium curæ meæ commiſſorum ægrotantium per paucos conualuiſſe ſcio: huiuſcæ verò pagi de quinquaginta, non plus viginti ad ſummum pleuritici, ſeu peripneumonici intra ſex, vel ſeptem menſes perempti ſunt.

Anno eodem die 25. Aprilis veſpere fit Lunæ eclypſis, cui tamen nos, eo quod eius medium vix ſpectamus, non ſumus obnoxij. Iunio configurantur ſuperiores h. e. Saturnus, & Mars quadratum aſpectum ineunt, & Mars opponitur Ioui, qui omnes denuo initio Auguſti Martem, Regulo exaſperante configurantur. A priore planetarum poſitione deſcendit influentia ſanguini diatheſim acrem malignam imprimens, quæ ſuccum nutritium in materiam retorridam

per-

peruertit, vndè febres ſupradictæ emergunt. A poſteriore, & potius á magno Solis deliquio, quod non inuenit Argolus inconſideratè coniungens luminaria in gr. 19. Tauri, quæ coniunguntur in gr. 20. 14. 12- ſine vlla, ſeu minima Lunæ latitudine in domo nona, vbi ſecundum eiuſdem Authoris præceptum Solis deliquium ſecundo anno auſpicatur effectum, defluit qualitas cruorem lentore afficiens, qui ad circulandum inhabilis redditus, in exilibus pectoris venis obſtructionem parit inflammatoriam, nemine eorum, qui febribus illis afflicti fuere, pleuritide, vel peripneumonia conflictato, eo quod aduerſa cœli conſtitutio hos, non illos, hoc & non illo morbo afficit.

OBSERVATIO LXV.

ANNO 1689. in varijs Pedemontij partibus verè exortæ variolæ, dum alicubì dyſenteria graſſatur, toto anno Pueros exercent: & à menſe Decembri vſque ad Maium pleuritides ex diſſolu-

tione ſanguinis Cornilianum, vt à D. illius pag. Medico mihi nunciatum eſt, peſſimè habent; quando aut paulò ante, Lucernæ Oppidum, & tota illius Vallis febribus malignis affligitur.

Eodem anno die 4. Aprilis Luna mox poſt Solis occaſum tota terræ vmbra immerſa emergit: proinde ſtatim variolas, ac dyſenterias inducit. Magnus Trinus exeunte maio initus, quì die 20. Iullij repetit, & infortunarum oppoſitio Auguſto, & Septembri contingens Corniliani pleuritides, & febres malignas Vallis Lucernæ præter alia mala grauiora nobis incognita procul dubio concitarunt.

Con-

Contagium populare difficile cognitu.

DIGRESSIO VIGESIMA

CVM Morbo populariter ingruente alij de Cœlo tacti, alij contagione polluti decumbant: vt hos hoc modò affici non temerè dicamus; neuè ſemper contagio, quo vacat, affectum perperam tribuamus: non ſolúm ſcire debemus, eoſdem ad quempiam ægrotantem acceſſiſſe, vel illi miniſtraſſe, ſed etiam ægroti illius morbum contagioſum eſſe conſtet, oportet. Morbum autem vulgarem eſſe poſſe contagioſum credibile eſt, ſi vbi ſporadicus exiſtit eſt contagioſus: talis verò eſſe ſolet febris maligna; ſiquidem illud, quod ægrotantium efflvuia (de contagio mediato ſermo eſt) reddit contagioſa, in febre maligna tum ſporadica, tum popul ariter graſſante reperiri poteſt.

Febris malignę priuatę exemplum dare libet vnum aut alterum.

Annis abhinc 15. circiter Vidua quędam perilluſtris febre mala qualitate comitata, quam breuitatis ergò non deſcribo, correpta fuit. Huic ſororem miniſtrantem, vt contagium caueret, admonui: at non multis poſt diebus, adhuc illa laborante, morbo prorsus ſimili affecta fuit, deinde illius filius, licét minus grauiter, Ancilla incolumi, ægrotauit.

Miſeratione quídem dignus fuit quidam tenuis fortunæ Paterfamilias. Huius anno 1689. vernali tempore Puella annorum duodecim in febrem cum mala qualitate coniunctam ſæuis ſtipatam ſymptomatis incidit: aliquot poſt diebus Puer natu minor: poſt Filia annorum quindecim, & altera iunior eàdem plagá percuſſa eſt, poſtremò Vxor, Prole, quà conualeſcente, quà adhuc laborante, ſimili modo decumbens fato functa eſt. Cumque neutra illarum infectionum, quarum prior ante bimeſtre, poſterior ante trimeſtre ſpatium non deſijt, vlli

vlli extrario, qui febricitantes viſitauit, communicata ſit, nulluſque in vicinia, totoque pago ſic laborauerit; manifeſtum eſt, morbum fuiſſe ſporadicum. [niſi quis velit, quod tamen ſententiæ noſtræ non officit, ſicuti viculus vicino incolumi influxu maligno percutitur; ſic domum aliquam intacta vicinia eodem afflari poſſe] & à primo ob vitioſum humorum apparatum ægrotante ſecundum, deinde reliquos infectos fuiſſe, quomodo.

Morbida facta pecus totum corrumpit ouile.

Quoniam igitur febris maligna priuata contagio inficit, etiam populariter graſſans, hæc enim ab illa ſola cauſa diſtat, contagium communicare poterit. Sed quo magis illud in ſporadica febre innoteſcit, eo magis in epidemia deliteſcit.

Etenim non ſimili morbo ſimul, vel ſucceſſiuè laborantium domeſticorum pluralitas, non corporum analogia, non eadem ægrotatio, qua quiſpiam extrarius cum aliquo febre maligna, vel peſtilente affecto conuerſatus ſtatim, vel

aliquot poſt diebus corripitur: Non magnam vim hominum, & agitationem ſequens peſtis exaſperatio; non demum epidemiæ cuiuſuis conſtitutionis duratio, quàm contagioni Authores ferè adſcribunt, illius certa ſunt argumenta. Nam ex familiarium ſucceſſiuè, vel vna laborantium pluralitate cauſæ communis energia magna potius arguitur; quoniam valida nequit eſſe aduerſa ſtellarum poſitio, quin grauibus, aut frequentibus ægrotationibus Ciuitas vrgeatur: neque in Ciuitate multæ graſſari queunt infirmitates, quin in eadem domo plures decumbant. Nec morbus, cui domeſtici ob ſimilem naturæ proprietatem obnoxij ſunt, magis contagio, quàm influentiæ morbificæ debetur; Siquidem ſi huic prius [quæ enim eadem ſunt interſe, ſunt eadem vni tertio] procliuis fit, etiam ſecundus, & tertius exiſtit opportunus. Neque exterus, qui infectum modo, vel iampridem viſitauit ſimili morbo detentum, potius contage inquinatus quàm de Cœlo tactus credendus eſt; quoniam alij interea,

rea, qui nullum peſte afflictum inuiſerunt, vel qui ſimul ac de peſtilentia rumor ingruit, cum nemine commercium habentes domi ſe continuere, vel in loca tuta ſe contulere; peſte [non contagij potius, quàm cauſæ communis actione hucuſque dilata] corripiuntur. Nam cum in omnes ſimul, & eodem temporis, & vnius, duarum, trium horarum ſpatio, vt monſtratum eſt in digreſſione decima morbificus influxus ſe ſe inſinuet in corpora, in alijs citius, in alijs ſeriùs, in allijs poſt menſes, in hiſce poſt annos operaturus: Cur voles viſitantem potiús ex contage ſuſcepta, quam ex cauſa communi in viſitato prius, quàm in viſitante in actum deducta ægrotare? Neque à peſtis exacerbatione magnæ hominum commotioni ſuccedente certi contagij quidquam deprehenditur; quãdoquidem probabile eſt à magna corporum agitatione influxus morbifici ſemina ab omnibus, vel pleriſque nuper, vel iamdudum ſimul excepta, quæ in aliquibus latentia, ac quieta manentia actjonem ſuam forſitan diſtuliſsent,

com-

commota calamitatem exaſperare. Quomodo denique ex epidemiæ conſtitutionis duratione patere poteſt contagium; ſi dantur ægritudines multæ, plures menſes, & annos graſſantes citra contagium; ſi peſtis ipſa non ſemper, vt videbimus in digreſſione ſequenti, eſt contagioſa?

OBSERVATIO LXVJ.

ANNO 1690. circa finem Julij in Caſtris Celſitudinis Regiæ Pancalerij, deinde Villæfrancæ collocatis, & in Gallico exercitu aduerſo innotuit dyſenteria: Sed inito prælio non ſolùm fluxus dyſentericus, verùm aliæ quoque ægritudines adeò increbuere, vt per omnes tum pagos, & Ciuitates Milites vtriuſque exercitus in contubernijs odoris teterrimi plenis diſpoſiti turmatim ægrotarent, quæ quaquam ab initio in multis Pedemontij partibus vagabatur, & mitius ſæuiebat in Populos, quàm in Exercitus: tandem tamen in illis præſertim ſenes, ac valetudinarij non pauciores militibus interibant. Erat febris valdè maligna multis

tis, ac terribilibus iuncta ſymptomatis, licèt plerumque ſopore graui inſigniretur, quæ cum domeſtici plures ſimul, & ſucceſſiuè ægrotarent, quin contagioſa fuerit nemo dubitarit. Vergente hyeme tuſſi moleſta, ac variolis conſtanter infeſtantibus pleuritides & peripneumonię exaltabant malum, quod non ſolum toto Pedemontij, vicinarumque Prouinciarum ſpatio, vbi toto ferè anno ſequente ſcabies, cathexiæ, & febres, phthiſeos æmulæ ſe illi immiſcebant, circumſcribebatur; ſed etiam in Vngariam, Dalmatiamque, & in alia loca diſſita idem perueniſse, imò Apuliam peſte tactam eſſe, nuntiatum eſt.

Luna deliquium patitur maximum menſe Septembri anni ſuperioris iterum lumine deficiens anno ſequente ſcilicet 1690. & pro diſtantia ab oriente in priori eius defectione decem poſt menſibus, in poſteriori quatuor circiter effectum ſvum auſpicans. Quare a geminis Lunę defectibus [cum vterque circa Iulij finem nocere incipiat] & ab infortunis in principio eiuſdem menſis quadrato radio

dio irritatis huiuſmodi morbus ducit originem a maleficis menſe Decembri, deinde Aprili, & Auguſto ſequentis anni vario aſpectu exaſperatis vires acquirens, atque continuatus pro gentium, locorumque diſpoſitione varia, varius, malignus, vel peſtilens.

OBSERVATIO LXVII.

FEbres tertianæ ſimplices, duplices, licèt petechijs inſignitæ vt plurimum tamen ſalutares Februario menſe anni 1692. exoriuntur toto vere, & ęſtate prima aliqua continua immiſta perſeuerantes, quando adhuc illis graſſantibus prodeunt quartanę intermittentes, neminem eorum, qui tertianas paſſi erant, inuadentes. Et ſi planetæ ſuperiores, vt inſalubres fiant debent corpore, vel aſpectu partiliter eſſe coniuncti tamen haſce febres infortunis circa initium Januarij platicè ſe intuentibus acceptas referre non dubito, eo quod, vt innuitur digreſs. ſeptima, cum Saturno in *g.* 1.43. *latitud. bor.* ad eleua-

eleuationem poli 45. circa diem vltimam menſis Decembris anni præcedentis, & primam Ianuarij anni 1692. oritur Cor ſcorpij ſtella fixa perniciosa, quę planetæ morbifici Saturno partiliter adhærenti partes agit. Si quis velit haſce febres aſſignare infortunis Auguſto anni antecedentis ſibi accurrentibus, per me libet; quoniam ijdem eclypſium more, vt alibì dictum, ad plures menſes differre queunt noxiam. Divulgantur æſtate quartanæ non propter humorem atrum, & melancholicum per febres tertianas, & aliquam continuam contractum; ſiquidem nemo eorum, qui hiſce febribus affecti ſunt, in quartanam incidit; ſed ob ſuperiorum configurationes Junio, & Julio ſuperuenientes.

Neque obſtat quod eadem conſtellatio differentes febres generet v. g. quæ anno 1688. tertianas intermittentes produxit, eadem hoc anno quartanas inducat; quoniam planetæ per influxum, qui occulto modo agit, poteſtatem habent, vt nunc fundendi humores, nunc coagulandi: ita modo biliosam modo

atra-

atrabilariam in ſanguine diatheſim imprimendi. Cum autem tres ſuperiores denuò configurentur, quid mirum, ſi febres valdè malignæ excitentur hyeme.

Peſtis cum febre non ſemper, ſine febre nunquam ad diſtans eſt contagioſa.

DIGRESSIO UIGESIMA PRIMA

SI Ideo quod datur contagium in febre ſporadica, quod manifeſtum exiſtit, vt monſtratur in ſuperiori digreſſi one, etiam in epidemia dari, quod difficile innoteſcit, fatendum eſt: quoniam eadem febris maligna diſperſa poteſt eſſe expers contagij, vt quotidie obſeruamus, & quales ferè ſunt febres Puerperarum, ſicuti notat *Williſius de feb. cap.* 16. dari quoque febres malignas & peſtilentes non contagioſas credibile eſt. Huiuſmodi fuerunt anno 1677. & binis ſequentibus, quo triennio quam tum

quidem

quidem memini hìc [hìc, inquam, quia alibi & multis in locis domeſtici gregatim iacebant] duos ſimili & eodem morbo, licèt valde exitiali, in eodem domo laborantes numquam habui. Si igitur febri malignæ epidemicæ poteſt abeſſe contagium, poterit & peſtilenti cùm ſola pernicie differant, febri peſtilentiali ſemper hæret contagium, non verò ſemper malignæ, eo quod illa maiorem humorum corruptionem ſortiatur, ſiquidem hinc euenit tantum, vt peſtilens fiat perniciosè maligna, non vt ſemper ſit contagioſa.

Quare cum morbus vt inficiat halitu opus habeat primum calore febrili, qui vaporem infectum ſatis agitare valeat, & expellere, iſque ſolus ſit putredinalis ſaltem mediocriter vehemens, febrilis enim ſimpliciter & mitis haud ſufficit, propterea febris ephemera non eſt contagioſa, & calor innatus emendat potius malitiam fomitis, & comburens diſſipat, vt docet Zacutus Luſitanus de medicor. *princ. Hiſtor. lib.* 1. *Hiſtor.* 84. *queſt.* 50. Deinde quia febris ſimpliciter

pliciter putrida non inficit, occulta ac maligna qualitate [ſine qua nihilominus cur febris phthiſicorum ſit contagioſa, patet alibi ratio] indigeat; ſiquidem nulla manifeſta poteſtatem habet mole minima alterius humores inficiendi. Denique quia non omnis febris maligna exiſtit contagioſa, exactam requirat contagioſorum habitvum miſtionem, ne ſtatim expirati euaneſcant ſed in aliqua diſtantia, ideſt ab ægro ad eidem adſtantes maneant integri harum ſi qua conditionum deſideretur febris maligna, vel peſtilens contagjoſæ non erunt, cui ejuſmodi fere ſunt, quarũ putredo remiſsa eſt, & calor ad tactum mitjs exiſtit, quæ minimè jnficientes cum magna pernicie ſęuiunt.

Si jgitur peſtis cum febre non ſemper eſt contagioſa, numquam peſtjs ſine febre, licèt ſummæ venenoſitatjs perticeps, cum de eſſentja huiuſmodj contagij ſit putredo & malignitas cum contage deſæuiet. Neque, ex eo quod per odorem vel expirationem canis rabidj in rabiem, quì eſt morbus vene-

natus

natus per ſe febris expers, aliquis, vt quidam referunt, inciderit, opinione mouebor; ſiquidem infectionis mediante halitu ab homine rabido alij communicatæ nullum datur exemplum. Dices eos, qui alleguntur hydrophobos præ metu morſus illis non accedere adeò vt halitu poſſint infici: verùm, ſi lues venerea, quæ quoque eſt morbus occultus, & venenatus per ſe febre carens huiuſmodi contagio vacat, vt omnibus notum eſt, cum quæ ſunt eadem inter ſe, ſint eadem vni tertio, eodem quoque vacabit hydrophobia, proinde peſtis ſine febre per expirationem minimé inficiet. Quare in ſyncopem, epilepſiam, apoplexiam, & ſimiles morbos per ſe febris expertes incidentes morbidam expirationem habere impoſsibile eſt, quamuìs febre qua ſine nemo mori dicitur, corripiantur; ſiquidem febris ephemera, qualis eſt, quæ in agone mortis, & vltimis naturæ conatibus a ſimplici ſanguinis, & ſpiritvum efferueſcentia excitatur, non eſt contagioſa.

Non eſt itaque mirum ſi ex Petro Sa-

lio diuerſo, vt ait *Senn. de feb. lib.* 4. *cap.* 1. de peſtilentiæ natura. Hippocrates & Galenus, & Medici contemporanei indifferenter, & ſine metu contagij peſte infectos inuiſerent, neque monerent alios, vt ab eorum conſuetudine abſtinerent: ſi & ipſe fatetur ibidem *cap.* 3. de contagio ſe ſępè obſeruaſſe vbi primus in domo aliqua lue infectus conualeſcebat, neminem præterea ex eadem familia affici peſtilentia.

Etsì vero peſtis ſine febre ad diſtans hoc eſt halitu non ſit contagioſa, & ab ea ſecuros eſſe velím, qui tali peſte infectis adſunt; non tamen ab ea immunitatem ſibi polliceri debent ob venenatam qualitatem a cauſa communi impreſſam, quibus accidit cum eiſdem in eodem lecto cubare; cum a lue venerea, quæ per ſe febris expers eſt, & virulenta, immunes non ſint, quì cum eadem inquinatis in eodem lecto dormiunt.

Atque híc, & sí non ſatis commodè, ſi mihì definiendus eſſet morbus vulgaris, dicerem eum eſſe, qui ab ſyderum mali-

maligno, & ineuitabili influxu genitus, ſolaque cauſa differens a priuato, vbi eorum quos corripit, plerique euadunt, malignus; vbi plerique pereunt, peſtilens, vbi plurimi præcipue eadem morbi ſpecie iactati cum, & ſine contagio breui tempore cadunt, peſtis appellatur.

OBSERVATIO LXVIIJ.

NON Diù Anno 1693. morbo populari immunes degimus, nam hyemalibus febribus haud iamdudum finitis circa Maij principium erumpentes febres tertianæ intermittentes ſimplices duplices inceſſerunt adeo frequentes, vt plures in eadem domo febricitarent, ſalutares initio vt plurimum licét grauibus quandoque ſymptomatibus ęgrotantes affligerent, quæ poſtea minabantur periculum. Et iam ſine intermiſſione vexantes cum delirio, & ſopore, atque hyeme vergente tuſſi, catharro moleſto, pleuritide, peripneumonia, coniunctas ad Majum anni

ſequentis, raiores tamen adhuc perſe-uerantes, magna clades ſeqvuta eſt late difuſa; nam & in Latium, & in Leodienſes, vicinoſque populos dirè ſæuijſſe huiuſmodi egrotationem, quando graui colica vexatur Heluetia, ſicuti in Riuerio reformato legitur, nuntiatum eſt, quæ nobis in tumores gingiuarum, & maxillarum moleſtos degenerans, deſijt.

Cum menſibus Martio, & Aprili tres Superiores configurentur, & Auguſto Mars opponatur Saturno: cum Luna magnum deliquium patiatur menſe Iulio anni Superioris in octaua domo, vbi poſt menſes decem, vel vndecim, hoc eſt inter Maium, & Iunium ægritudines auſpicatur: & iterum poſt ſex menſes eadem cum maiori mora in tenebris lumine deficiat in eodem propemodum loco poſt totidem, quot prius, menſes, nempe Decembri ſæuire incipiens; manifeſtum fit, vnde annvus hìc, ac tantus, ac tam latè diffuſus affectus ducat originem.

Hoc anno, ni fallor, Taurini Ciui-

tatem cæpit magnus peſtilentiæ metus. Jam cadauera ſine pompa, ac tacitè noctuque, vt terrori parceretur, extra Vrbem, cum etiam templorum ſepulcra plena eſſent, deferebantur. Jam fimeta vtrum ad Vrbis defenſionem retinenda eſſent, an aeris, qui culpa vacabat, maiorem deprauationem auertendi gratia, foras exportanda, quærebatur cum paulatim remittente malo, a peſtilentiæ metu fuit libera Ciuitas.

Morbus popularis pręſciri poteſt: morbi ſpecies, & locus afficiendus non item.

DIGRESSIO VJGES. SECVNDA.

CVMQVÆ Morborum popularium cauſæ ſunt, ſint & ſigna: quotieſcumque cometa præfulſerit, vel eclypſis, vel Errantium Superiorum concurſus contingerit, affectus epidemij expectandi ſunt; qui quia exiſtunt, vel vniuerſaliores, & pluribus Mundi partibus communes, diuturni, vel breues, maligni, vel peſtilentes; eos vniuerſaliores, diuturnos, ac peſtilentes pręnuntiabis, vbi aduerſa Cœli conſtitutio validiſſima fuerit, qualis eſt cum Cometa notabilis, Solis eclypſis magna, & Planetarum congreſsus vna cum ſtella fixa inſigni conuenient. Ab huiuſmodi cauſarum ſyndrome verjſimile eſt deri-

deriuatam eſſe peſtem illam, quam *Senn. de feb. lib.* 4. *cap.* 1. de peſtilentię natura refert ex *Niceph. lib.* 17. *Hiſtor. Ecleſiaſt. cap.* 17. ex Aethiophia vniuerſo ferè toto diffuſa nulli pepercisſe, & Ciuitates pene omnes habitatoribus vacuas fecisſe. Si qua autem harum cauſarum, vt cometa, ſicuti plerumque, euenit, deſideretur, vel non omnes validiſſimæ extiterint, veluti cometa exigvus ſit, eclypſis non grandis appareat, vel Superiores Errantes non coeant; ſed aliquo ſolum radjo configurentur, nec fixis aſtris notabilioribus hæreant: aut non adeò frequentes, ac dilatatas, aut non tam diuturnas, aut non prorſus exitiales, & peſtilentes ægritudines portendes. Huiuſmodi propemodum fuerunt anno 1677. quæ quidem triennio ſæuierunt, & Europam non ſolùm, ſed Aſiæ etiam, Africæque confinia afflixere: & non omninò peſtilentes [licét vbi plus dimidium Incolarum occubuit, vbi peſtilentię nomen, maximè quia interibant omnes eadem morbi ſpecie, meruerint] at ſolum-

modo per quam malignæ, aut peſtis œmulæ extiterunt: quia videlicet cometa haud inſignis apparuit, Sol non magnum paſſus eſt deliquium, ac Planetę Superiores in radios duntaxat quadratos, ac trinos conuenere. Huius Cœleſtis conſtitutionis omnibus pene numeris abſolutæ exemplo & efficientia [quod magnum eſt huiuſcæ Jatro-Aſtronomicæ veritatis argumentum] reliquæ pro vnius vel alterius cauſæ defectu, ac maiori, vel minori fortitudine, cæterarum ægritudinum maiorem, vel minorem grauitatem periculum, ac diffuſionem præmonſtrare poſsunt, morbi ſpeciem non item.

Enim vero cùm Planetæ morbi ſpeciem ſignificaturi, ſi ſignificare poſset præpollentia; ſiquidem non ſeorſum, ſed coniuncti, vt alibi dictum eſt, errantes inflvunt, innoteſcere nequeat; eo quod dignitates, quas vocant eſſentiales ex domo, exaltatione, trigono, ac terminis, vnde dominium illius rimari ſolent Aſtrologi, vanę ſunt: eleuatio autem Planetæ ſuper alterum, quæ

vera

vera videri poteſt, quia qui tardioris eſt motus, & ſeptentrionalior illum altero fortiús influere probabile eſt, difficile reperiatur; ſiquidem qui lentius mouetur eſſe poteſt meridionalis; qui velocius circumagitur borealis, iſque plerumque fixis diuerſæ naturæ adhęret; nullam ſigna Zodiaci, nullam domus ſignificationem, nullumque Planetæ ſuper humani corporis partes dominium habeant, ex quibus morbus innoteſcere poſſit, cum a qualibet eclypſi, a qualibet Superiorum Erronum configuratione ex quacumque domo, ex quocumque ſigno quiuis morbus proueniat, vt videre licet in hiſce obſeruationibus, nemo ſpeciem morbi certò præſagiet. Quare Argolus ex figura eclypſis Solaris anni 1676. à qua febres ille triennales lethargo comitatæ potiſſimum profectæ ſunt, temerè variolas, & morbillos prædixit. Etsì enim falſa anguli ſuccedentis computatio, cui die 11. Iunij hora 1. 44. competit gradus ſecondus Virginis ad longitudinem Romæ, non vero gradus vigeſimus

mus Leonis, quæ Iouis triplicitas dicitur ab Aſtrologis, variet ægritudines iuxta illius, & aliorum Aſtrologorum, hypotheſim: attamen in hiſce obſeruationibus videre poſsumus, quotieſcumque ingrvunt variolæ, vel morbilli, quemadmodum non ſemper planetæ morbifici pro ſignis humanis, in quibus interdum exiſtunt, nocent hominibus; quoniam morbi vulgares rariſſime apparerent: ita non ſemper Iouem cum maleficis cuniunctũ eos morbos & pleuritides, quorum affectvum cauſa ille, planeta perperam creditur ab eodem, Authore de diebus criticis, & decubitu ægrorum diſſeminare.

Neque loca infortunio afficienda vllum præſcire poſſe credibile eſt. Nam cum vrbium, & regionum incerta ſint primordia; ſignum ex oriente aſcendens, quod eo ipſo temporis momento, quo Vrbs aliqua, vt nihil dicam de regione, incipit ædificari, ei dominari volunt; erit quoque incertum; quia illius natalis hora [Siquidem non pudet Mathematicos Vrbium Geneſim Signorum

Cœle-

Cœleſtium ſyderumque poteſtati ſubijcere] an in ipſa prima terræ foſſione, an in primarij lapidis poſitione ſit obſeruanda, dubitandum eſt. At certa ſint regionum, Vrbiumque primordia; ſemper erit innanis loci afficiendi prædictio: quandoquidem licét velis à Maleficorum Synodo, vel eclipſi patrata in Leone Romam, & Italiam eſſe percutiendam, & ideo etiam Hiſpaniam, quia dicitur ſubiecta Sagittario, vt pręcipit Argolus, & alij. Obſtant illi, qui dicunt affici regiones, & Vrbes, quæ parent ſignis eiuſdem quadranguli, ac diuerſæ naturæ, ſcilicet Scorpio, Aquario, ac Tauro.

Quod ſi dicas vtramque ſententiam eſſe tenendam, & ad locum anguli ſuccedentis domini loci ecliptici atque eiuſdem diſpoſitionis rationem habeas: certè ſuperuacaneum erit loca afficjenda præmonſtrare; cum hoc pacto omnis regio, omnis Ciuit. morbis exiſtet obnoxia.

Quamobrem vna, & falſa illa omnium regionum, & Ciuitatum ſignis Cœleſtibus ſubiectarum deſcriptio; ſiquidem

illa

illa nihil ſignificant, ſed ſola in eis ſita ſydera fixa, quę tamen etiã migrant de ſigno in ſignum, & in eiſdem excurrentes Planetæ, qui non pro dominatu, quem ſuper certa ſigna habere creduntur, ſed pro antipathia, vt aliàs dictum, afficiunt loca.

OBSERVATJO LXIX.

POST Solſtitium æſtivum anni 1694. tertianæ intermittentes, quæ menſe ſextili increbeſcunt aliquibus immiſtis continuis perquam malignis excitantur. Has ſub finem Nouembris tota fere hyeme perſeuerantes excepere pleuritides, & peripneumoniæ perniciosæ adeo in ivuenes, ac robuſtos ſæuientes, vt eorum aliquot die 4. vel 5. de medio ſuſtulerint.

Tertianas intermittentes effundunt Jnfortunę ex trigono ſe reſpicientes menſe Iunij die 18., quæ inualeſcunt, & in continuas tranſeunt tum ſolitarias, tum peripneumonia comitatas, vel quia conſtitutio epidemia, vt dictum eſt in di-

greſſione

greſſione decima tertia ſua habet tempora ſicut habet vnuſquiſque morbus ſcilicet principium augumentum ſtatũ, & declinationem: vel quia die 2. Auguſti malefici configurantur, & Iuppiter adhæreſcens Pleiadibus Martem ex quadrato intuetur.

OBSERVATIO LXX.

SVB finem Februarij anno 1695. diuulgantur phymata pueris, adultiſque moleſta per duos circiter menſes non adeò crebrò vagantia. Vix menſes binos morbo populari vacauimus, cum poſt aliquot cholericas paſſiones erumpunt febres tertianæ intermittentes, & continuæ periculoſę longè, lateque ſæuientes in caſtra, & in Populos: nam eaſdem peſſimè habere Romam, nec non Podoliam peſtilentia flagrare nuntiatur. Multæ quoque huiuſcę anni Autumno, ſed raræ quartanæ, & modo in hoc modo in illo terræ tractu febres haud parum malignæ poſt ſolſtitium brumale palantur. neque hìc miſſas facere volo

locuſtas

locuſtas, grilloſque, quorum tam ferax extitit annus, vt ab ineunte Auguſto ad totum Autumnum in pratis, in campis ſaltitantium, vt agricolarum peras roderent, & multi à volentibus, ac nolentibus conculcarentur.

Affectum ineunte vere exortum Ioui, Martique ſibi occurrentibus; qui verò Æſtate ſe prodit, eiſdem planetis die 15. Iunij quadrangulari aſpectu ſe ferientibus vicinia Reguli, Pleiadumque exaſperatis acceptum referimus: Neque obſtat, quod cum aſpectus oppoſitus, vt dictum in digreſſione ſexta, quadrato ſit infenſior; hìc febres periculoſas, & peſtilentiam excitet; ille tantum tumorum ſalutarium exiſtat Author; quoniam in hoc quadrato Mars Pleiadibus iungitur, & Iuppiter Baſiliſco, ſeú Regulo Stellæ inter fixas, vtpote nulla latitudine fere præditæ, fortaſſe peſſimé accedit; præterquam quod fieri poteſt, vt eadem oppoſitio alibi dirius graſſata ſit. Quod ad inſecta attinet: illa ex terrę putredine à ſupramemoratis conſtellationibus inducta generata fuiſſe, veriſimile

mile eſt. Reliquarum autem ægritudinum generationem infortunæ ſub finem Auguſti ſe intuentes ſibi vindicant.

OBSERVATIO LXXI.

MENSE Februario anni 1696. producunt febres oppido malignæ in Pueros præſertim cum vermibus ſęquientes. Nec forſitan aliàs tam diuerſi generis morbi vagati ſunt, quám hoc anno; ſiquidem tuſſes, aphtæque Pueros, adultos vero palpebrarum tumores, ac nonnulla emphyſemata infeſtarunt. Crurũ, lumborum, bracchiorum dolores acerbiſſimi exercuere non paucos. Hiſce malis ceſſantibus, quando nuntium affertur Cayrum vernali tempore peſte percuti, ab ineunte Iulio ad totum feré Autumnum vagantur febres intermittentes valde malignæ, & curatu difficiles, cum aliquot quartana affligebantur, multos que continuæ multum malignæ ſolitariæ, nec non comitatæ in diſcrimen adducunt.

Die 20. Nouembris anni Superioris

ad

ad longitudinē noſtram Luna eclypſim patitur in vndecima, vbi ſolet tribus poſt menſibus circiter noxam inchoare; proinde menſe Februario priores ægritudines, & paulò poſt peſtilentia Cayri; ſiquidem idem luminare ſerius in Ægipto deficit, Saturnuſque, & Iuppiter in trinum conuenientes exeunte Februario conſpirant, diſſeminantur. Poſteriores affectus tribue Superioribus menſe Iunio iunctis, & configuratis.

Vſitata á peſte præſeruatio, tamquam falſa, abſurda, & damnoſa refellitur.

DIGRESSIO VIGESIMA TERTIA.

VBJ Rumor increbeſcit alicubì peſtilentiam graſſari, vſitatum eſt ſtatim cum locis illius incolis prohiberi commercium: ad regionis confinia, & Oppidorum portas, vt ab infectis locis aduenientes arceantur, collocari

locari excubias : ſinè ſanitatis teſtimonio in Vrbes ſanas neminem admitti : qui ex ſuſpectis pagis accedunt, niſi poſt quadraginta dies minimè introduci : Pauperes, quibus non ſuppetit neceſſaria alimentorum copia, publicis nutriri ſumptibus : fructvum, aliorumque inſalubrium ciborum vſum interdici : vias publicas ab immunditijs, & fætoribus mundari : ignem in Plateis, quo aeris infecti ſeminaria imminentia auertantur, & diſſipentur præſentia, accendi, & ex bellicis tormentis grandioribus mane, & veſpere verſus eam partem, vnde malum putatur impendere, directis bombos emitti. Vbi verò morbus ſerpit in Ciuitate aliqua, videre licet alios illìnc in diſſita loca fugam arripere : alios rebus omnibus ad victum neceſſarijs inſtructos prę metu contagij domi ſe continere : eorum, qui peſte corripiuntur, vel ædes occludi, vel ipſos cum ſupelectile in locum extra Vrbem ſeu infectorum nos ocomium, quod vulgo Lazaret dicunt, transferri ; ius minime adminiſtrari, patefieri carce-

res, & ſolemnes in templis, in Scolis, nundinis balneis, choreiſque conuentus prohiberi, & alia ſtudia ſecundum allegata, & approbata lege ſancita iuſtiſſimà, vt imminens peſtis abigatur; nec præſens Latius extendatur adhiberi.

Uerùm quia ex præmiſſis non veris falſa conſequentia deducitur: quia nimirùm morbus vulgaris ab aeris vitio minimé dependet, nec propriè per contagium propagatur, fit, vt vſitata a peſte præſeruandi ratio de falſitate, & abſurditate arguatur. Nam nè dicam, quod ſine cauſa tot modis aeris correctio procuratur, cum extra culpam epidemiam ille ſit; quod licèt mundities mediocris tam publica, quàm priuata vbique laudatur, præſtat bello feruente fimeta ad Vrbis defenſionem retinere, quàm remouere, eo quod fætores morbos vulgares non inducunt, vti dictum in digreſſione ſecunda; & eoſdem æque fere in Oppidjs mundis, ac obſcenis ſæuire argumento eſſe debet, quòd illam triennalem toties memoratam malignam peſtilentis pluribus in

locis

locis æmulam conſtitutionem non minor hyberno tempore, quando omnia gelu conſtricta fętore carent, quám vere & æſtate, quando ſterquilinia, ſtrata bombicum, ac ſtagna valdè graueolent, hìc febricitantium, funerumque frequentia comitabat. Nè dicam quòd quia per aera, & fomites non deuehitur lues; cum loci infecti Incolis impunè commercium haberi poteſt, quia cum ſanis habetur; quod fruſtra dies 40. de locis infectis, & ſuſpectis venientes detinentur, ante quam in ſanam Ciuitatem introducantur, eo quod influentię virus prius quã noxam aperiat, diutius plures nempè menſes, & annos latere poteſt in corpore: vt ne referam reliquas huiuſcæ curæ prophilacticæ vanitates, cum morbus malignus, ac peſtilens ſola pernicie differant, ſiquidem cauſam eandem agnoſcit vterque vt anno 1691. ſub eâdem conſtellatione febribus malignis Pedemontium, & vicinia; peſte verò Apulia, & anno 1695. Podolia, anno ſequenti Cayrum vexabatur. Neque hìc illo ideò perni-

cior eſt, quod magis inficiat, vel donetur peculiari contagio, ſicuti patet in hiſce digreſſionibus, niſi quod quia perniciofius eſt, eodem maiorem terrorem incutit. Cumque in maligna tum imminente, tum pręſente conſtitutione non minus interdum perniciofa peſtilenti, comercia non vacent; negotiatio opificiumque non ſileant; omnibus aduenis in ſanum Oppidum liber pateat aditus; ab homjnum conſortio nulli, vel ſolitudine, vel fuga ſe ſubſtrahant: Templa, Scolæ frequententur & nondinæ, jus adminiſtretur, infirmi domo non excludantur; ſed viſitentur manifeſtum eſt, vſitatam pæſtilentiæ præcautionem perperam inſtitutam eſſe proinde non obſeruandã, maxime quia ægris, & ſanis venit in detrimentm.

Etenim nemo non videt quanto cum Reipubljcę damno nauigantes arceantur a Portubus, viatores a regionis, & Vrbium ingreſſu per tot ſeptimanarum ſpatjum prohibeantur: quantum quod a mercatura, negotiatione, nundiniſque vetitis: quantum quod ab officijs Ciuitatis

tatis, Scolis, Templis plures menſes imo quandoque annos ſilentibus, emergit diſpendium. Adde illud, quod a patrio ſolo in loca incolumia profecti, contagionis euitandæ gratia ſentiunt incommodum. Adde tædium, quo vt hominum conſortium declinent, qui domi tandiú ſe continent, afficiuntur. Adde famem, qua qui in diem vivunt, opificio, & opera intermiſsa, ſi quando ſumptu haud alantur publico, quod in locis non bené conſtitutis non raro euenit, conficiuntur. Quid quod ęgri ab ſanis ſeparati domo excluſi, tamquam exulantes extra Vrbem, extra pagum, raro in noſocomio commodo, ſed in tigurijs, & ſub die aeris iniurijs obnoxij ſæpe ſemianimes ſepeliuntur? Huc accedit, quod peſte languentes, vbicumque iaceant ad eoſdem acceſſum horrentibus illis, qui officio, vel caritate tenentur lue infectos viſitare, Sacramentaque miniſtrare, ope debita deſtitvuntur.

OBSERVATIO LXXIJ.

CIRCA Brumale ſolſtitium eiuſdem anni 1696. exortæ febres malignę aurium inflammatione, & anginà nonnullæ in principio, pleræque pleuritide, & peripneumonià comitatæ multos paſſim de medio tollunt, adhuc Iunio menſe ſæuientes, apparentibus ſubinde varjolis ſalutaribus.

Huiuſmodi calamitatis cauſa à Luna menſe Maio eiuſdem anni 1696. deficiente lumine cum multa mora in tenebris in domo nona, vbi poſt 9. circiter menſes, hoc eſt menſe Decembri, quando Infortunæ Iouem quadrato aſpectu ferientes coeunt, noxam auſpicatur, petenda eſt.

OBSERVATIO LXXIIJ.

NON Diu morbo Vulgari vacauimus ſiquidem ineunte Iulio anni 1697. febres intermittentes continuæque prodeunt tota æſtate moleſtæ, quibus per

menſem

menſem vnum vel alterum ſilentibus ſuccedunt initio Nouembris febres continuæ rarò licét, peſſimè tamen ægros accipientes. Dum in hiſce partibus vagatur huiuſmodi morbus, patria mea Braida febribus peſtilentibus afflictatur cum ab ſoliſtitio brumali ad Aprilem anni ſequentis ex bis centum febricitantibus, centum, & quinquaginta, alijs tertio, alijs quarto die percuntibus deſiderati ſunt.

Eodem anno menſe Majo maleficj in quadratum, & menſe Iunio in trinum aſpectum conuenientes febres priores concitant: poſteriores ab eclypſi Lunæ anni Superioris in octaua domo contingente, vbi poſt menſes vndecim ſolet auſpicari noxam, demittuntur.

OBSERVATIO LXXIV.

CIRCA Diem decimum Ianuarij anno 1698. extitit de repente febris continua tot vnà corripiens, vt dvum, vel trium dierum ſpatio pluſquam triginta ægros, ædes circa duode-

næ contiguæ continerent: ſed non multis poſt diebus totum pagum occupante morbo a triginta ad octoginta ægrotantes, quorum plerique iuuenes erant per aliquot dies numerabantur vicinia ac teritorio incolummi, niſi quod bini vel terni iuriculæ in progreſſu ægrotationis decubuerunt. Erat febris initio tuſſi moleſta & raucedine comitata: delirja abſurdæ fabulationes, vermium excretio copioſa ſanguinis è naribus ſtillicidjum, diarrhęa effrenis, motus conuulſiui fere omnibus; aliquibus phrenitjs, non nullis parotides, & bubones communes erant. Non vacabat malum contagio non eo argumento quod plures domeſtici gregatim ſimul, & ſucceſſiuè laborarent: ſed quod vnus & alter de ſanis locis aduocatus conſanguinejs miniſtrandj gratia eodem morbo correptus eſt. Non temere timebatur ne affectio tranſiret in peſtilentem quando per aliquot dies ferme quotidie pluribus parentabatur; attamen Dei beneficio paucos obtinente dies huiuſmodi funerum frequentia vndecima

cima circiter ægrotantium parte de medio ſublata hoc eſt paucis ſupra triginta deſideratis poſt ſex menſes hæe maligna conſtitutio deſijt, quæ menſe Martjo viſa recrudeſcere, alia loca hinc, & parum, & multum diſſita inceſſit. Et sì verò hoc malum Populis finitimis, dum hìc vigebat commune non eſſet: non omnes tamen paulo poſt ab illo erant immunes, imò in aliqujbus locis paucitſimi ferebantur euadere.

Willis de feb. cap. 17. deſcribit affectum popularem huic noſtro prout multos ſimul inuadit, non abſimilen, quem nos in *Obſeru. XLIV.* a trinò maleficorum aſpectu pendere oſtendimus, a quibus eodem modo die decima eiuſdem anni collocatis deriuaremus, niſi quia incertum eſt planetarum morbificorum; qui eadem die in trinum conueniunt, graſſationis initium; lunaris eclypſis 9. fere digitorum die 29. Octobris anni præcedentis celebratę ab oriente diſtantia certo eſſet indicio affectum huiuſmodi ab eadem eſſe deducendum. Nam ſi luminaria, vt non ſemel dictum

lu-

lumine deficientia in prima domo, primo menſe, in decima, ſexto, & proportionaliter pro diſtantia eorum, ab oriente auſpicantur ægritudines: hęc eclypſis, quæ ſicuti ad longitudinem. Romæ hora ſciljcet 8. 44. P. M. ab Argolo ſupputata ſi eidem Ciuitati fuerit etiam obnoxia, tertio menſe ſæuitiam ſuam inchoauerit: ita ad longitud. Taurini paulò citius h. ſcilicet 8. 18. P. M., & ſecundo paulò poſt menſe h. e. ineunte Jannuario anni 1698. Ordiens ægrotationem, quin febres huiuſmodi arceſſerit, non eſt dubitandum. Quod de repente ſimul multi ęgrotent, cauſa referri poteſt in influxum, qui in populos circum vndique diffuſos non diſperſus in hunc noſtrum totum ſe contulit. Nullus ex conterminis hac ęgrotatione iactatur, quia arcano ac mirabili modo agens influentia morbifica cum noſtro minimé cum alio diſſidet. Poſt ſeiqui menſem viſus eſt recrudeſcere affectus etiam alia loca hinc parum, & multum diſſita conflictans, eo quod trinum intuitum infor-

tu-

tunarum ſuprامemoratum in actum deduci, & cum eclypſi ſęuire veriſimile eſt. Denique hanc Cœli conſtitutionem haud cum hominibus in hoc pago natis peculiariter diſſidiſſe ex eo conſtat, quod nonnullis aduenis etiam fuit communis affectio.

Nocte antecedente diem 20 Auguſti eiuſdem anni exorta tempeſtate, cella pulueris pyrij in arce Taurini recondita fulmine tacta flammam concipit quæ inde magno cum impetu erumpens vtrobique terrori fuit, & exitio illi, quod omnibus notum eſt.

Eadem nocte, & hora infortunij octaua circiter Luna a Veneris trino aſpectu platico peruenit ad Martis quadratum partilem. Hic ſtellarum poſitus mutat aerem cum tonitruis, & fulmine præcipuè ęſtate, quia eſt apertio portarum, de qua facta eſt alìbi mentio & cum exitio ob Lucidam lancis auſtralis ſtellam fixam ſecundæ magnitudinis, cui Mars adhæret, de indole maleficorum.

Morbus

Morbus à Contagio dependens evitari poteſt Nequaquam a Cœlo proueniens.

DJGRESSIO VIGESIMA QVARTA

QVandoquidē per fomites minimè propagatur peſtilentia, neque per aera deuehitur; & peſtilens contagium non differt a maligno, quod non ſemel monſtratum eſt: morbus ab infectione proueniens [qui tamen an contagioni an cauſæ communi referendus ſit, eſt ſcitu difficilis] tam in ſtatu peſtilente, quám maligno declinari poteſt, ſi ſani cum ægris non cubent: ſi conſanguinei, quia ob annalogiam ipſis facilè communicatur, illis non miniſtrent; ſed eorum ſeruitium extrarijs, modò ſano loco accerſitis, qui languentes, & eorum lintea ſudore craſſo, vel ſanie recenti maculata contrectent caute, committant: ſi domeſtici, quantum

poſsunt

poſsunt, rara eorum conſuetudine vtantur; ſiquidem in contagio priuato propter aſſiduam conuerſationem familiares fere omnes, vt legitur in Digreſſione 130. inficiuntur: ſi qui ex officio, vel caritate tenentur infirmos inuiſere; ore auerſo, & in aliqua diſtantia pro temporis, loci, atque ægrotantium conditione, aliquo ſemper præſeruatorio muniti remedio, & amuleto ad eos accedant.

Quod ſi quis cum aliquo ægroto conuerſatus tali adhibita diligentja morbo corripitur: credibile eſt, eum potius eſſe de Cœlo tactum, quám contagio pollutum, niſi ſit aduena de ſano loco profectus, præſertim conſanguineus, quod hìc contigit hyeme præterita puellæ, & Viduæ cuidam de pagis incolumibus arceſſitis; hæ enim duobus earum Fratribus febre maligna laborantibus nauantes operam in eundem morbum inciderunt.

Poteſt igitur quilibet morbus in epidemia conſtitutione ex contagio dependens euitari, nequaquam verò à

Cœlo

Cœlo proueniens, nam ſiue quis die vno vel altero priuſquam eclypſis, aut Superiorum configuratio patratur, aut cum cometa tabeſcere incipit, vſurpet cardiacum aliquod, ſeu vitale medicamentũ, quo illorum vis a corpore prohibeatur, inanem ſumit operam: ſiue cum non ſtatim ſemper aduerſæ conſtellationi ſuccedant ægritudines, ſed fere plures dies, & menſes lateat in corpore Cœleſtis impreſſio, vt huiuſce ſaltem inſidijs interea occurat, ſcilicet vt morboſam humorum fermentationem, & corruptionem, quas illa tacitè moliri ſolet, impediat, alexipharmacum idemtidem adhibeat, non fit voti compos; quandoquidem ſi daretur a morbo populari ab ſyderibus nempe demiſſo pręſeruatio; fruſtra Deus *Opt.max.*, quod nefas dicere, ijsdem motum, & lumen, quibus inter ſe diſſident, & ſaluti noſtræ aduerſantur, indidiſſet; fruſtra ſtellas crinitas, & luminarium deliquia feciſſet inſalubria; ſi ægritudines inde prouenientes non eſſent ineuitabiles. Cur autem declinari

clinari queant, quæ per contagium, contractæ ſunt; nequaquam quę promanant a Cœlo, ratio eſt quia illæ contrariorum v. g. acidorum, & acrium medicamentorum vſu; ſiquidem laborantium miaſmata, cum illorum ſanguis denſari vel attenuari obſeruatur aciditate, vel ącredine prædita ſunt, impediri queunt, minime vero iſtæ, vtpote quarum cauſa licét ob improportionem ſpiritus peruertendi, & ſanguinem inficiendi vim habeat huiuſmodj & aliarum qualitatum, à quibus indicatio præſeruatoria deſumitur, expers eſt, caretque contrario. Neque Dauid volens peccati pænam ſubjre, quippe ipſe iram Dei in ſe concitauit, ex tribus illis pęnis a Propheta Nathan propoſitis peſtem optaſſet, niſi eam æque ſibi, ac reliquis nouiſset ineuitabilem. Scio Sacerdotem quendam, qui quotieſcunque ex me audiebat imminere ægritudines, ſtatim varijs ſe muniebat me arridente, cardiacis, in quibus multum ponebat, arbitratus eiſdem ſe aljas incolumen pręſtitiſse cum ſęuirunt infir-

infirmitates; qui tamen anno elapſo in afectum ſæuis ſtipatum ſymptomatis in hoc pago dirè graſſantem incidit, & deſideratus eſt.

Iam deſinant Authores conqueri, quod cum nullum venenorum ſuo ſpecifico careat antidoto; ſolum venenum malignum, & peſtilens nullum remedium habet præſeruativum. Deſinant admirari, quod naturalis Philoſophiæ principia, quibus omne ex contrarietate per contraria fieri conſtat, non ſubuertit, qui negat morbum vulgarem per contraria præcaueri: ſed fateantur verum ægritudinum popularium præſeruatorium in ſola iræ diuinæ precibus placatione conſiſtere, quod ipſorunmet Etnicorum alìqua impendente calamitate inſtitutum erat iuxta illud Ouidianum.

Sæpe Iouem vidi cum iam ſua mittere vellet
Fulmina, thure dato ſuſtinuiſſe manum.

quibus ſi forte non exauditis morbi vulgares vt flagellum peccatis noſtris debitum,

tum, & vt neceſſarium ad vniuerſi Conſeruationem ingruant, communibus curentur medicamentis: curationem enim admittunt facilem, vel difficilem, prout ex natura ſua, & priuatè afficientes curatu faciles ſunt, vel difficiles, a cauſa communi malignitatem magnæ latitudinis contrahentes, quod alibi dictum, pro qua minimum vel maximum minantur exitium, prout ſtellarum aduerſa poſitio pluribus, vel paucioribus fortitudinis numeris eſt inſtructa, & plus vel minus cum certis locis, & hominibus diſſidet.

Monendus eſt Lector quod dum hæc, aliaque quamplurima, & præſertim vt aerem epidemica *à culpa ſolidioribus argumentis vindicare, veramque aeris mutandi rationem oſtendere meditabatur Author Clariſſimus,* paraliſi *ceú fulmine ictus, vt propius de remedio conſuleret ad* Superos *emigrauit*.

FINIS.

JNDEX

Rerum notabilium.

A

ÆGritudines epidemiæ ad vniuerſi conſeruationem ſunt neceſſariæ pag. 158.
Aer eſt extra culpam epidemiam pag. 11.
Apertio portarum quid ſit. pag. 57.
Aſpectus planetarum non ſunt fictitij. pag. 51.

B

Beneficus planeta in loco defectiuo nec lenit, nec maleficus deteriorem facit eclypſim. pag. 61.

C

Cœli conſtitutio morbifica quæ nam peſsima. pag. 159. 182.
Cometæ materia quæ nam. pag. 66.
Cometę noxa vnde. pag. 68.
Ciues cur in eadem Ciuitate ſaluis Aduenis morbo vulgari corripiantur. pag. 139.
Contagium peſtilens non differt á maligno. pag. 174.

Con-

Contagium publicum difficile cognitu.p. 165.

D

Durationis ſtatus epidemij cauſa. pag. 104.
Dyſenteria per ſe non eſt contagioſa. p. 146.

E

Eclypſis cur noceat. pag. 60.
Eclypſis eo ſerius agit, quò plus diſtat ab Oriente pag. 63.
Eclypſis an pariat ægritudines plurium menſium, vel annorum, prout pluribus horis deficit lumine Luminare pag. Ibid.

F

Febris peſtilens, & maligna non differunt contagio. pag. 174.
Figura coniunctionis planetarum ſuperiorum non erigitur, & quare. p. 84.
Fontes influxus morbifici quot ſint. p. 51.

G

Genethliacorum inane de cometa iudicium. pag. 70.

H

Halitus fœtentes morbis vulgaribus excitandis non ſunt pares pag. 19.
Hypotheſis falſa falsam inſtituit a peſte præſeruationem. pag. 194.

In-

I

Influentiæ morbificæ proprietates. pag. 41.
Influentia morbifica breui temporis ſpatio decidit. pag. 74.
Influxus morboſus quid ſit. pag. 52. 53.

L

Locus a cauſa communi afficiendus præſciri nequit. pag. 186.
Luminaria eſſe ſalutaria oſtendunt eclypſes pag. 60.

M

Morbi caſtrenſis, & popularis eadem eſt cauſa communis pag. 113.
Morbus a contagio proueniens euitari poteſt, a Cœlo immediate procedens non item. pag 204.
Morbus epidemius cur a cauſa vniuerſali dependens non ſemper ſit vniuerſalis. pag. 158.
Morbi popularis definitio. pag. 178. 179.

N

Nulla per fomites peſtis propagatio. p. 151.

O

Ophtalmia per ſe non inficit. pag. 145.
Orionis vnde moleſtia. pag 45.

P

Peſtis propagatio impropriè debetur

conta-

contagio. pag. 106. 151.
Peſtis ſine febre eſt expers contagii. p. 174.
Phtiſis an ſit contagioſa pag. 145.
Planetæ ſuperiores configurati cur inſalubres pag. 55.
Plurimi in maligna, & peſtilenti conſtitutione laborant Cœlo tacti, pauci contagio polluti. pag. 169.

Q

Quartanæ, & tertianæ febris cauſa eadem ſtellarum poſitio pag. 173.
Qualitates occultas non negant Neoterici pag. 47.

R

Regiones, & Vrbes non ſibijciuntur ſignis Cœleſtibus pag. 186. 187.

S

Stellarum maligna influentia ſola morborum popularium cauſa pag. 40.
Syluius tractatu decimo de morbo Leidenſi reprehenditur. pag. 133.

T

Triplicitas, fines, exaltatio, domus planetarum fictitiæ. pag. 184.
Tuſſis non eſt contagioſa. pag. 145.

V

Venenum influentiæ multo diutiùs

quàm

quàm contagij latet in corpore pag. 92.
Victus pravus communis morbum vulgarem non gignit. pag. 30.
Vnguentis, & pulueribus ſparſis malè aſsignantur morbi populares. pag. 33.

FINIS.